



Amicus non periculum fidei. i. Profad. 169. b. 37.

Et Belij mix aut impudicit z il minis Taber

Impudicit. . . . . Voil. 1630

Amidi Amidi de bello. v. i. Epilontony. Terminon  
non theog. Philosophionu. Argionu. Argend

1600.

4 M. 510  
1-3

26.

29.



EXPOSITIO  
CALENDARIII NOVI  
GREGORIANI,

*In qua*

NON TANTVM, DE PASCHATIS  
celebratione, tanquam Festo mobili ac vago inter  
Christianos, sed etiam de causis correctionis Calendarij  
dicitur, & ex quibus fundamentis Astronomicis,  
correctio hæc desumpta sit, additis solutis  
onibus quarundam ob-  
jectionum:

*Conscrip̃ta opera & studio*

ABRAHAMI ROCKENBACH  
ZEAPOLITANI, I. V. DOCTORIS, ET  
in Academia Francofordiana cis Viadrum, ante ali-  
quot annos græcæ linguæ & Mathematicæ, nunc  
verò juris Professoris,

PROPOSITA

In Collegio Philosophorum, pridie Calend: Junii,  
anno à Virginis partu, millesimo, quingentesimo,  
nonagesimo nono.

---

*Aristoteles in Metaphys:*

*Qui non dubitat, nihil scit, dubitationes n. sunt  
preparamenta, ad veritatis indagacionem.*



NOBILISSIMIS, AMPLISSI-  
MIS, CLARISSIMIS, PRVDENTIS-  
simisq; Viris, Consulibus & Senatoribus inelytæ  
Reipubl. Augustanæ & Dinckelspulen-  
sis, Dominis suis plurimum  
colendis.



*Mnibus temporibus, maxi-  
mas fuisse quærelas sparsas  
ab Astronomia artificibus  
præstantioribus, doctrinam  
motuum considerantibus &  
observantibus, nobilissimi,  
amplissimi, pietate, eruditio-  
ne & virtute præstantissimi Viri, non tantum  
propter motum Solis & Luna, quod anni vers-  
tentis magnitudinem certam dare & demon-  
strare hæcenus non potuerunt: sed etiam quod  
in reliquis quinque stellarum erraticarum, &  
motuum inquisitionibus, sicut & in Solis &  
Luna, eisdem principiis & assumptionibus, ra-  
tione revolutionum apparentium non sunt usi.*

A 2

Inde



Inde factum est, quod alii artifices circulis homocentris, alii eccentricis epicyclis usi sunt, quib. tamen id, quod voluerunt, assequi planè hætenus non potuerunt, singuli tamen huius positionis, certas rationes habentes. Homocentros n. qui posuerunt, & illis tanquam certis hypothesis usi sunt, licet aliqui diversos motus, ex eis compositos demonstraverint, vel potuisse demonstrari voluerunt, certi tamen hætenus nihil invenire potuerunt, quod illis Phanomenis respondere posset. Eccentricos verò qui excogitarunt, licet se non à vero aberrasse putaverint, tamen eousq. tandem hisce suis positionib. pervenerunt, ut dum numeris, motus tantum apparentes, se inquisivisse sibi visi sunt: tamen e contra in talia vicissim impegerunt, quæ primis principiis, de motus aequalitate, maximè adversantur. Inde & ultimum hoc absurdum, priores positiones est secutum, quod mundi certam formam, vel symmetriam deprehendere, vel colligere non potuerunt. Ac eiusmodi artificibus,

ficibus, id accidit, quod de illis dicitur, qui ex diversis locis, sed non unius corporis, manus, pedes, brachia assumunt, ex quib. postea monstrum potius, quàm verus homo constituitur. Atq. ita tandem hoc, in processu demonstrationis ipsis accidit, quam methodum vocare soliti sunt, ut vel maximè necessaria prætereant, vel etiam alienum quid assumant, quod ad rem præsentem minimè pertinet. Quod nunquam accidisset, si principia certa secuti essent, ac hypotheses illorum non fuissent fallaces. Ex vero enim, nil nisi verum sequi, communis mathematicorum, & philosophorum sententia est. Hæc cum ita se habeant, atq. longa temporis observatione, cum hæc de re querela, ut dixi, maxima fuerint, hoc inde tandem incommodum est secutum, ut æquinoctiorum, noviluniorum, cycli solaris restitutio, admodum necessaria hoc tempore fuerit. Nisi enim hæc correctio, beneficio Gregorii decimi tertii, Pontificis maximi fuisset suscepta, indies malum hoc magis crevis-



set, atq; ita, ut tandem, vel etiam in mediam a-  
statem, festum Paschale, cum reliquis inde pen-  
dentib. inciderit. Etsi autem professionis mea  
ratio non est, de hoc argumenti genere, in Aca-  
demia nostra differere, tamen cum ante aliquot  
annos in hac Academia, studia Mathematica  
publicè tractaverim, ac de speciebus motus, tum  
in theoriis Planetarum, tum etiam octava  
sphaera, additis libellis sphaericis variorum au-  
torum, auditores tunc temporis monuerim, si-  
mul etiam quarelas Mathematicorum excellen-  
tium, non tantum de Solis motu & Luna, sed  
etiam reliquorum Planetarum proposuerim,  
(sicut quoq; Nicolaum Copernicum in libris re-  
volutionū, & alios Astronomia artifices fecisse  
deprehēdo,) inde sumpta occasione, cum multos  
non tantum literatos, sed etiam rude vulgus in-  
terdum audirem, voces admodum insalutas, in  
hanc Calendarii Gregoriani compositionem &  
correctionem spargere, sub incudem eam revo-  
care, adhibitis speciebus motus tandem cepi, ac  
in nostra

in nostra Academia, omnium facultatum Do-  
ctoribus & auditoribus proposui; partim ut a-  
lios studia Astronomica quotidie tractantes, ad  
maiores diligentiam, in motuum inquisitione  
excitarem, partim etiā, ut quorundā <sup>Boetii & Luyt-  
tium</sup> hic, tum alibi reprehenderem, qui licet stu-  
diorum Mathematicorum aliās sint imperitissi-  
mi, tandem odio magis religionis, quā veri-  
tatis inquirenda causa, hanc Calendarii Gre-  
goriani reprehensionem, illos suscipere animad-  
verti. Ac omnibus temporibus, tales fuisse bar-  
baros, historia testantur, qui non tantum hanc  
doctrinam motuum caelestium neglexerunt, sed  
etiam praedictiones Astrologicas, ex motuū in-  
quisitione desumptas, (quia videlicet non o-  
mnia, fatali necessitate evenire deprehenderūt)  
spernere ceperunt: inter quos Alciatus quoq; no-  
ster, in l. dies bissextus ff. d. verb. signif. non  
minimus est, unā cum Basilio, & Pico Mi-  
randula, qui nescio, quae absurda etiam, ex mo-  
tuum prognosticatione, causam peccati tandem  
etiam



etiam in DEum transferentes, extruere quoque  
inde soliti sunt. Quorum absurdorum, si non om-  
nia, maxima tamen pars, ut in posterum vita-  
retur, de his brevi hac mea oratione, tum Do-  
ctores, tum auditoris commonefacere volui.  
Ad Amplitud: autem & Dominat: VV. quod  
hac de re, expositionem meam conscriptam mit-  
to, causæ multæ sunt: quarum prima est, quod  
correctio hac anni & temporum, sit fori mixti,  
& tam ad ecclesiasticas, quam seculares perso-  
nas correctio hac, tum etiam defensio spectare  
videatur. Deinde etiam, quod olim sapientissi-  
morum Regum ac Principum, hanc pricipu-  
am curam fuisse, præ omnibus aliis historia te-  
stantur, ut doctrina motuum cælestium posteris  
tradatur, anni & temporum metæ certæ consti-  
tuantur & observentur, addita motuum obser-  
vatione, & eventibus insigniorib: inde postea  
& nomina eorum, ut gratæ posteritas meminisse  
posset, stellis in cælo sunt attributa, Atlantis vi-  
delicet, Orionis, Chironis, Persei &c. Quod  
& supe-

& superiorib: temporibus, & hoc nostro secu-  
lo, à VV. amplitud. maioribus & antecessori-  
bus, in hunc usque diem, à gubernatorib: reipubl.  
vestra factum esse, tum historia, tum etiam ex-  
perientia quotidiana testatur, utpote quod VV.  
amplitud: & dominat: unà cum nobiliss: & an-  
tiquissima Fuggerorum prosapia, Guilhelmo  
Xylandro, Professore Academia Heidelber-  
gensis celeberrimo, & ius civitatis apud vos  
habenti, sumptus ad studia Mathematica per-  
colenda & illustranda, non tantum liberalissi-  
mè in Academia Tubingensi subministrarunt,  
sed etiam Joannem Scheubelium, Professore  
Mathematicum præstantissimum, in excolenda  
Mathesi, aliosque literarum cuiuscunque faculta-  
tis studiosos, multis modis iuverunt, quibus o-  
mnibus & singulis, agnatum quoque hoc tempore  
meum, D. Jacobum Kulingerum vices advo-  
cati, in repub. Augustana hoc tempore agentis,  
aque VV. amplitud: & dominat: (licet exterius)  
multis quoque beneficiis affectus, annuero.  
B Ultimo



Ultimo loco, patria quoq; mea beneficia, à Senatu civitatis, ante biennium in me presentem collata, me movent, aliquam vicissim pro beneficiis gratiam, tanquam civis, illis ut referam. Quòd cum hoc tempore, alia vel ratione meliori, facere non potuerim, hac Calendarii Gregoriani commendatione & inscriptione, quantum potui, hoc tempore etiã præstiti, utpote quòd me presente Senatũ civitatis, Gregoriana huius constitutionis studiosissimum esse, in reipub: conservatione, & status Ecclesiastici constitutione animadverti. Utinam reliqui imperii proceres, idem facerent, sic n. fore sperarem, maiorem animorum coniunctionem, in conventib: imperii securam esse. Est n. quòd laudandum est, verè hoc aureum seculum, in Calendarii hac correctione, cuius non tantum Lutherus, Reinholdus, sed etiam Leo Decimus & Nicolaus, Pontifices maximi, sæpius mentionem fecerunt, ideò etiam correctionem, quam ante hac tempora partim instituerunt, partim etiam pro-

pter

pter sumptuum penuriam, prout in expositione Calendarii inferius dicitur, ab opere incepto, desistere coacti sunt. His omnibus, diligenter hoc tempore à me perpensis, eò libentius, VV. amplitudin. & dominat. has meas lucubrationes scolasticas, & quidem Astronomicas, bono studio susceptas, offerendas esse putavi, non dubitans, VV. amplitud. & dominat. hilari ac benigna fronte, eas accepturas esse, præsertim cum ad VV. amplitud. & dominat. hoc quoq; spectare videatur, ut textus dicit, in tit. de prohib. feud. alien. reipub. curam gerere, de commodis subditorum cogitare, quòd reipub. salus salva maneat, & status singulorum illæsus servetur. Id quòd in opere hoc Gregoriano promovendo, quòd ad Calendarii correctionem, dũ VV. amplit. & dominat. faciunt, rem Deo gratam præstant, ac ad ecclesiastici, & politici regiminis statum & conservationem, non parum facere videtur. DEVS Opt. Max. VV. Amplitud. & Dominat. ad sua divina

B 2                    maiesta-



maiestatis gloriam, & reipubl. incrementum,  
quam diuissimè incolumes, benignè conseruet  
& tueatur. Data Francofordiæ ad Oder  
ram, ex nostro Museo, anno à virginis partu  
labente, millesimo, sexcentesimo, à Catholicis  
hodiè Jubileo dicto.

V V. amplitud. & dominat.

addictus

ABRAHAM ROCKENBACH  
Dinckelspulen, I. V. D.  
& Professor.




IN EXPOSITIONEM  
CALENDARIII GRE-  
GORIANI,

Clariss. Viri

ABRAHAMI ROCKENBACH  
I. V. DOCTORIS, ET PRO-  
fessoris,

CARMEN EXTEMPORARIUM  
M. MICHAELIS ABELI, FRAN-  
cofordiani Marchici, Poëtæ  
Laureati.



N Ostra vetustati, quod non benè tempora quadrans,  
Nec solitas retinent, annua transtra vices:  
Non ea culpa rotæ est, quæ circumpendula voluit,  
Astra, renascentes progeneratq; dies.  
Nant rata curricula, & nullo suffamine mutant,  
Quod semel in circum Iova coëgit iter.  
Ipsa sed hos obitus, hominum solertia discens,  
Ausa perennantes perterebrare situs.

Sideribus dum fortè gradus indagine figit,  
Quasq; vias habeant illa vel illa, notat.  
Omnia solerti quamvis scrutetur amissi,  
Puncta minutatim non potuere dari.  
Aut si cuncta queant indaginis ungue prehendi,  
Crassities populi, non tamen illacipit.  
Nec potis æthereis, æquare meatibus isthæc,  
Circum mortales inferiora greges.

B 3

Scilicet



Scilicet hinc ortus ea declinatio ducit,  
 Tempora quæ præcis ulteriora facit,  
 Dum pigra colluvies, circum peritura laborat,  
 Et tantum studio, rostra saginat opum.  
 Cœlestes animi erratis medicamina quærunt,  
 Est quæ peritorum, res, pede digna legi.  
 Ingenij nec acumen agunt in talia viles,  
 Cura sed augurij est quibus alia sequi.  
 ROGGENBACHVS in his nomen proficitur, amatores  
 Artis, ad æthereas quæ levat ora faces.  
 Quæ quæ latent vulgus, super his examina pangens  
 Eloquij, verbis utiliora facit.  
 Digna viro, laudis quæ capax impensa: quis autem  
 Munere conatum sufficiente beat?  
 Est operæ pretium, velut ominor, ipsa voluptas,  
 Mente supernatum posse subire domos:  
 Participem quæ DEI transibere ad æthera flammam,  
 Id vel Alexandri robore maius opus,  
 Quem peperit pridem, series immensa dierum,  
 Corrigit errorem, quæ venit una dies.



Quoties

Quoties in hac celebri Academia, Magnifice D. Rector,  
 Spectabilis D. Decanus, re-  
 verendi, clarissimi, pietate,  
 eruditione & virtute præ-  
 stantes Viri, adolescentes stu-  
 diosi: quoties, inquam, cathedram hanc con-  
 scendo, non sine gravi deliberatione, mecum  
 prius perpendo, quo genere orationis politissi-  
 mo, quo item argumento, in tanto doctissimo-  
 rum Virorum & adolescentum consessu, uti ve-  
 lim, quo non tantum aures vestras, omnium a-  
 liorum sensuum, teste Cicerone, acutissimas, de-  
 mulcere: sed etiam tale argumentum in medium  
 proponere, id quod ita explicare possim, ut auditu  
 suave, multisque in Academia nostra versanti-  
 bus iucundum, & utile tam docentibus, quam  
 discantibus esse possit.

Quoties n., priorum temporum actus publi-  
 cos, in hoc ipso loco, in mentem mihi revoco,  
 semper, ac sæpius ex hoc ipso loco, alios ante &  
 post



post me orantes, tum de Philosophia laudibus,  
eiusq; partibus utilia differentes, ego & alii ad  
nauseam quasi audiimus ita, ut subsellia quor  
dammodo redolere isthæc, visa mihi sint. Etsi  
autem eiusmodi exercitia, tum in aliis actibus  
publicis, tum etiã in ritu illo veteri declamandi,  
in hac scola instituto, propter discipulorum utili  
tatem non sunt improbanda, sed potius laude  
digna: tamen cum Thucydides græcus ille scrip  
tor, naturam hominum considerans & obser  
vans, eos *καρπώδεις τῶν εὐδαίμων* nominet, de istis  
rebus hoc in loco differere hodie constitui, de  
quibus per aliquot annos, tum apud rude vul  
gus in politicis, tum etiam apud literatos, &  
qui se plurimum etiam in studio Mathematico  
profecisse sibi visi sunt (utpote quod hæc res, tum  
viros politicos, tum etiam Ecclesiasticos tan  
gat,) controversia summa fuerunt, videlicet de  
Calendario novo Gregoriano, quod alii ab au  
tore Aloysio Lilio, Lilianum, Gregorianum,  
Cæsareum, aut imperiale etiam nennarunt,  
quod

quod in principio propagationis, vel correctionis  
anni videlicet millesimi, quingentesimi, octuagesi  
mi secundi, ex Italia per Indiã & Americam,  
beneficio Papa Gregorii decimi tertii & Regis  
Hispaniarum, usq; in Germaniam, primum in  
victissimo potentissimoq; Imperatori Rudolpho  
II. Cæsari Augusto, deinde Electorib. & reli  
quis principib. Germanicis exhibitũ, publicatũ  
& promulgatũ est, ac magna reverentia à qui  
busdam, propter magnum & difficilem labo  
rem, in illo opere susceptum, magna etiam animi  
gratitudine exceptum. Quem laborem utilem,  
non tantum in vita politica, sed etiam ecclesia  
stico statu, licet ante aliquot annos, Nicolaus  
& Leo Decimus, Pontifices maximi, corri  
gendi Calendarium partim in Concilio Latera  
nensi proposuerunt, partim alibi, ut susciperetur  
voluerunt, de quo Nicolaus Copernicus quoq;  
in libris revolutionum mentionem facit: tamen  
propter excellentium Mathematicorum penuri  
am, rem non semel, sed aliquoties susceptam, re  
linquere



linquere rursus coacti sunt; donec tandem Gregorius decimus tertius, Pontifex maximus, extremam huic labori manū adhibuit, (quemadmodum & septimam post alios susceptos labores partem, Decretalibus iuris Canonici, utpote qui Professor eiusdem in Academia Bononiensi per aliquot annos antè fuerit, magno studio & animi acrimonia adiecit,) æquinoctia ad tempora Synodi Nicenæ, reduxit ita, ut sanctum Pascha, cum reliquis festis mobilibus posthac rectè, juxta decreta sanctorum celebraretur. Etsi autem hodiè in Germania multi hucusq; fuerunt, qui utilissimum hunc laborem, à Pontifice maximo, magnis sumptibus beneficio Astronomorum susceptum, reprehendere soliti sunt: partim quia Papam caput Ecclesiæ esse non agnoscunt, partim quia alii potius ad politici spectare principes dicunt, anni reformationem instituerent, (sicut quodq; Julium Cæsarem, beneficio Sosigenis Mathematici fecisse legimus,) anno septingentesimo post conditā Romam,

nam, & pugnam cum filiis Pompei commissam ad Mundam; ubi pacatis tandem omnibus provinciis, non tantum leges tulit, cum dictator perpetuus & imperator nominaretur, sed etiam annum ordinavit, quo hætenus universa posteritas usa est, qui annus Julianus dictus est, cuius rationem perturbatam in bellis civilibus, Augustus restituit. Ante Julium n. Cæsarem, ut obiter dicam, Romani mensibus lunaribus duodecim annum finiebant, & quia dies undecim supererant, qui <sup>interstitia</sup> nominabantur, factum est, ut intra octo annos, tres menses intercalares adderentur, quos <sup>interstitia</sup> <sup>quædam</sup> nominabant, ita, ut tres anni postremi singuli, tredecim menses haberent. Cum autem hæc ratio annorum esset confusior, nec initia annorum in certum diem incidebant, Julius Cæsar hanc politici & solaris anni rationem, de consilio Sosigenis Mathematici instituit, quem ex Alexandria Romam duxerat, partim quia in imperiis certam annorum rationem habere, propter multas & graves causas,



ri ad anni reformationem dedit, ) tantum onus  
suis sumptibus suscepisse, quod Gregorius ille de-  
cimis tertius, ut anni rationem certiore inquis-  
rerent, restituitis aequinoctiis, & Calendarium  
magis elaboratum in publicum quotannis emitte-  
rent, quod in aequinoctiorum restitutione, novi-  
luniorum emendatione, & Cycli solaris restitua-  
tione consistit. Quod si, quæso, Calendarium  
hoc Gregorianum propterea à nobis erit reiici-  
endum, utpote compositum ab hominibus, à no-  
stra religione planè dissentientibus, (sicut ex  
Theologis nostra religionis hoc tempore qui-  
dam, licet fundamentorum Astronomicorum a-  
liàs sint imperitissimi, fecerunt, ) quid, quæso,  
de reliquis studiis tum Philosophicis, tum Iu-  
ridicis, tum Medicis erit iudicandum? anne  
propterea ex Scolis Jurisconsultorum sunt ex-  
plodendi illi, qui plurimum laboris per aliquot  
annos, in Iuris studio latissimo sustinuerunt, ut  
Synopsis quasi illius nobis relinquerent (quæ ad-  
modum Gallos hoc ipsum præstitisse, res ipsa  
loqui-

Correctio  
Calendarii  
in quibus  
consistat ca-  
pitibus prin-  
cipaliter.

loquitur ) quorum singuli serè, ubi pensum pro-  
positum laborum absoluerunt, alius diuæ vir-  
gini Mariæ, alius aliis sanctis, in quorum ho-  
norem, laborem propositum susceperunt, dedica-  
re aut mancipare hætenus soliti sunt? De arte  
Medica, quid iudicandum erit? si eiusmodi ar-  
gumentis, tot præstantissimorum Virorum, in  
arte medica labores reijcere volumus? An non  
Galenum quoq; principem artis Medica, di-  
xisse in quodam loco legimus, Moysen multa  
dicere, sed nihil probare? utpote qui plurimis  
in arte Medica demonstrationibus docere co-  
natur, quorum simile, in libris Moysi se nihil  
invenire animadvertit, homo à nostra religio-  
ne alienior? De studio Iesuitarum hoc nostro  
tempore non dicam, quorum aliquot, quam e-  
gregiam operam in explicatione difficillimo-  
rum autorum, Aristotelis videlicet, Euclidis,  
Ptolemæi per aliquot annos præstiterint, in ore  
serè est hodie omni populo. Reijcienda igitur  
& explodenda ex scolis tum Philosophorum,



tum Jurisperitorum, ac etiam Medicorum sunt  
cuiusmodi argutia, qui Zelo magis inscitia,  
quam pietatis, ( Mathematica n. mathematicis  
scribuntur.) Utilissimos labores superius di-  
ctos, sive à Catholicis, sive Ethnicis, ex scholis  
propterea explodere, vel eijcere sibi proponunt,  
quia videlicet ab hominibus, à nostra religio-  
ne alieniorib: sunt suscepti. Ac firmiter mihi  
hoc persuasum habeo hoc in loco, qui dum alii  
laborem hunc Calendarium corrigendi ad politicos  
Viros, alii ad ecclesiasticos pertinere con-  
sident, neminem autem Germanorum, ante  
hanc Gregorii correctionem, vel inter politicos,  
vel ecclesiasticos Viros quidquam prestitisse ta-  
le compertum sit, Germanorum ignaviam hac  
sua Calendarii correctione, Gregorium clam taxare  
voluisse. Ac cum, ut dixi, neuter in v-  
troq; ordine tum Politico, tum Ecclesiastico  
quidquam tale presterit, quorum tamen stu-  
dium ad utrosq; pertinet, ac mixti fori, ut dici-  
tur, est; rem laude dignam, Gregorium susce-  
pi-

pisse hac in parte certum est, quo Paschatis & a-  
liorum festorum in Calendario positorum, impo-  
sterum recta ratio haberi possit. Quod sic se ha-  
bere paucis probabo; adducto unico exemplo fe-  
sti paschalis tanquam precipui, additisq; ratio-  
nibus fundamentalibus, cur videlicet corrigi  
Calendarium necessarium fuerit, & in quibus  
capitibus, correctio hac, ut superius dixi, consi-  
stat. Hisce capitibus, in hoc conventu publico  
rite, & ex fontibus astronomicis explicatis, tan-  
dem momis illis satisfactum quoq; à me esse pu-  
to, qui hactenus, sicut & rude vulgus per ali-  
quot annos, Stentorea sua voce clamitare so-  
litum est, festum paschale iusto tempore à qui-  
busdam, à tempore publicati, & correcti Calen-  
darii non fuisse celebratum, ut & in Silesia, &  
vicinis locis, à plurimis ego ipse audiui. ( qui  
hoc syntagma, auctoritate imperatoris Romani,  
in festorum celebratione, & aliis politicis nego-  
tiationib: observare coacti sunt, ) qui preter alia,  
Calendarium hoc Romanum reprehendebant,  
D quia



quia solem in Paschatis die orientem, & ter  
saltantem nunquam, quemadmodum antea vi-  
derant, inde Pascha nō iusto tempore celebrari  
ratiocinati sunt, quia calculus videlicet Astro-  
nomicus falleret. Doctoribus autem, aliis ra-  
tionibus, partim astronomicis, partim theologi-  
cis & politicis, illud evertere cupientibus, ut  
superius dixi, ita respondebo, & rationes ipso-  
rum, ex fundamentis astronomicis extractas,  
ita evertam, ut errantes ad viam veritatis re-  
ducam. In quo errore, me quoq; aliquandiu  
versatum fuisse, paucos ante annos cum aliis, in-  
genue fateor, quoties Calendarii hanc correcti-  
onem aspexi. Sed quid mirum? mihi per ali-  
quot annos à studio Mathematico alieniori,  
propter praxin forensē in studio Juris? Licet  
n. per aliquot annos studia Mathematica publi-  
cè, in hac Academia tractaverim, eaq; tum tem-  
poris paulatim repetierim, quæ à clarissimis Vi-  
ris Philippo Imsero, Joanne Scheubelio, Astro-  
nomicæ & Geometricæ disciplinae in Academia  
Tubingensi:

in Witebergensi verò à Casparo  
Peucero & Joanne Garcao, professoribus &  
præceptoribus mihi semper & perpetuò colendis  
audiui, (quorum ille egregiam navavit ope-  
ram in explicatione hypotesum orbium cæle-  
stium, suppresso nomine in publicum editarum  
in scola Argentoratensi, collatis tabulis Alphon-  
sinis, cum Prutenicis & Copernianis. Hic ra-  
tiones erigendi figuras cæli varias, ab autorib:  
sparsim tractatas mira facilitate, addito tracta-  
tu de tempore, ita explicuit, ut in doctrinam  
verorum, tum mediolorum, tum apparentium  
motuum, in quibus, tota hæc controversia de no-  
vo Calendario hodiè consistit inter plurimos, ex-  
plicatio facilior, à quoquam dari non potuerit.  
Quæ omnia, inquam, dum per aliquot septima-  
nas, donec pensum hoc absolverem, in mentem  
mihi revoco, ac de speciebus motus adhibitis in  
novo Calendario, dum cogito, eosq; rumino, eius  
fundamenta, Deo dante, ita vobis hodiè propo-  
nam, ut objectionibus solutus, quarum quatuor

Controversia  
de Calenda-  
rio novo, in  
quibus Capit-  
bus consistit,  
ratione veri  
medii & ap-  
parentis mo-  
tus.



precipuas esse deprehendo, ( licet alii plures, aut  
etiam circiter viginti in medium adferre solite  
sunt, ad evertendum utilissimum hoc Calendarium  
Syntagma, ) ut studiosi Mathematicum diligentius  
us de hac re cogitent, ac magis sobrie, de hoc o-  
pere utilissimo, alios minus dextrè loquentes, aut  
omnino etiam spernentes erudiant, in primis ve-  
rò ubi ad illa loca pervenerint, ubi & pascha-  
tis, & aliorum festorum mobilium, iuxta novi  
Calendarii constitutionem, ratio habetur. Qua-  
de re, ut me benignis auribus audire velitis, ut  
pote de materia longè utilissima & doctissima,  
siq; non ita breviter me expediero, ut in aliis  
materiis, etiam atq; etiam rogo. Ac ad pascha-  
tis celebrationem quod attinet, testantur histo-  
ria, magna dissidia, tempore Apostolorum in  
ecclesiis orientalibus, & occidentalibus orta es-  
se. Etsi n. ex fundamentis sacrarum literarum  
nobis constat, cur in principio Deus Iudais cer-  
to die, primo videlicet mense, quartadecima die  
mensis ad vesperam. Initium autem anni, apud  
Iudaeos

Iudaeos fuit coniunctio solis & luna, proximè  
precedens vel sequens aequinoctium vernali,  
atq; ita primus mensis in nostrum Martium &  
Aprile incidit, ) Pascha celebratione præceperit,  
ut Exod. 12. Levit. 23. Num. 9. & 28. propter  
transitum ( id quod vocabulum Ebraicum Pascha,  
à verbo Pesah, deductum significat, ) quando  
dominus per Ægyptum transiens, omnia primo-  
genita Ægyptiorum interfecit, ac illis tantum  
inter filios Israël pepercit, quorum postes san-  
guine agni, sunt consparsi. Ut autem certum  
fuerit illius transitus apud Israëlitas, per mare  
rubrum conservaretur, ac typus Christi veri  
agni pro nobis immolandi, & per mortem ad  
patrem aeternum transitori, ut suo quoq; transitu,  
liberationem ex servitute Ægypti, hoc est dia-  
boli, mortis & peccati restitutionem impetra-  
ret, anno mundi bis millesimo, quadringentesi-  
mo, quinquagesimo tertio, Pascha celebritatem  
populo Israelitico instituit, ut ex locis superius  
sacrarum literarum adductis videre licet. Men-  
D 3 sis autem



is autem lunaris (iis n. Hebraei usi sunt) primus est, cuius dies decimus quartus luna, conjuncto etiam die novilunii, cadit vel in diem equinoctii verni, vel post equinoctium primò occurrit. Id quod ex antiquioribus doctoribus hebraeis videre licet, Josepho videlicet antiquitatum Iudaicarum cap. 3. lib. 3. Eusebio lib. 7. ecclesiastica historia cap. 29. & Anatolio Laodicea urbis Siria Episcopo, qui circa annu Domini ducentessimum octuagesimum, annis ferè quadraginta quind, ante Synodum Nicanam floruisse, idem Eusebius scribit, qui semper pascha, iuxta cyclum lunare in luna decima quarta, cadente in equinoctium, vel proximè ipsum sequente, celebrandum esse tradiderunt. Cum autem Christo paschate vero exhibito, typicum cessaret, ac Christiani ab his ceremoniis Moisaicis liberi essent, ut sacra scriptura docet, statim & hoc exemplum, Christiani, de paschate, postea amplexi sunt, ac solennem diem instituerunt, in quo tota Ecclesia, quasi uno ore victori-

am ac

am ac beneficia Christi, qui ipso die paschatis, pro nostris peccatis in cruce immolatus est, celebrare cepit. Ac licet, ut dictum est, de die paschatis celebrandi, magna certamina tempore Apostolorum in Ecclesiis orta sint, (praesertim cum Ecclesia à more Judaeorum, celebrandi Pascha discesserit,) in orientalibus n. ecclesiis, cum Apostoli in ceremoniis libertatem exercuissent, nec ad aliquos ritus ecclesias ablegassent, Iudaeos omninò tunc temporis secuti sunt, ac pascha decima quarta luna primimensis celebrarunt. In occidentalibus autem ecclesiis, cum peccatù sibi esse existimarent, tempore Iudaeorum fixo Pascha celebrare, pro luna decima quarta, diem Dominicum acceperunt, in quo Pascha celebrarunt, qui proximè hanc comitabatur, propter gloriosam Domini resurrectionem. Vetus n. Pascha iam cessasse contendebant, qua contentio postea circa annum Christi centesimum sexagesimum tertium, & sub Antonino Vero, in Laodicea reflorescere cepit, sicut & hoc nostro quoq; tempore ha-



Ecclesia cur  
discesserit à  
celebratione  
paschatis In-  
daorum.

re haecenus, in diversis locis, ut superius dictum  
est, Pascha fuit celebratum. Duae autem potis-  
simae causa, à patribus in medium adferuntur,  
cur Ecclesia à celebratione paschatis Iudeorum  
discesserit: quarum prima est, ne in luna deci-  
ma tertia, ieiunium quadragesimale celebraretur,  
Deinde, ne die Dominico ieiunare cogamur,  
cum haereticis Manichaeis, ac deinde sequenti  
die luna, festa paschalia inciperent. Ieiunium  
autem, ante decimam quartam lunam primi  
mensis, non debere celebrari, non tantum Euse-  
bius libro quinto Ecclesiasticae historiae cap. vi-  
cesimo tertio, sed etiam Divus Ambrosius, in  
Epistola ad Episcopos per Aemiliam constitui-  
tos docet. Hoc postea Beda quoque, cap. quinquagesimo  
septimo, de temporis ratione, duplicem  
causam adferens in medium, his verbis confir-  
mat dicens: Convenit diligenter animadvertere,  
quoties decima quarta luna, in dominicum  
diem incidit, in sequentem septimanam, pascha-  
lem diem esse transferendam, duas ob causas:  
primum,

primum, ne decima tertia luna inventa, in die  
sabathi, ieiunium celebremus, quod nec ipsa lex  
praecipit. Deinde ne Dominica die, luna deci-  
ma quarta constituta, ieiunare cogamur, reus  
illicitam & indecentem facientes. Haec n. Ma-  
nichaeorum secta consuetudo possedit & c. ac tan-  
dem, ne unquam, quod memoria dignum est,  
cum Iudeis Pascha celebremus, aut cum quar-  
ta decimae haereticis, qui legem Mosaicam,  
cum Evangelio observandam esse docebant. Pos-  
set autem hic merito aliquis mihi obiicere, ex  
quibus fundamentis illa essent desumpta, qua dis-  
tinctionem illam in paschatis celebratione tra-  
derent. Sed respondeo auctoritatibus patrum plu-  
rimis, ac decretis in synodis legitime constitutis,  
suffICIENTER hoc doceri posse. In primis verò au-  
toritate Synodi Nicens, quam magnis sumpti-  
bus in praesentia trecentorum & octodecim Epi-  
scoporum, Constantinum Magnum, anno Chri-  
sti trecentesimo vicesimo octavo, anno Imperii  
Constantini, decimo nono celebraffe, Socrates

Obiectio  
contra supe-  
rius dicta de  
Pascha ce-  
lebratione.

E

lib. 3.



lib. 1. historia Ecclesiastica cap. 9. ac Theodo-  
retus lib. 1. historia Ecclesiastica cap. 9. testan-  
tur, quidq; in ea conclusum sit, epistola ab eadē  
Synodo ad Ecclesiam Alexandrinam, ac ad fra-  
tres in Ægypto, Libia & Pentapoli missa, his  
verbis testatur: Quod ad omnium consensum,  
de sacratissimo festo paschatis celebrando atti-  
net, scitote, quod vestris precibus, controversia  
de ea re suscepta, prudenter ac commodē sedata  
est, ita, ut omnes fratres, qui orientem incol-  
lunt, quiq; Iudaorum consuetudinem, antea in eo  
festo observando imitari solebant, iam Roma-  
nos nos & omnes vos, qui eundem morem,  
quem vos in illo recolendo, à primis temporibus  
tenistis, sint consentientibus animis, in eodem  
celebrando, deinceps sedulo secaturi. Sed quere-  
re aliquis hic posset, tamen nulla sit mentio hoc in  
loco, de paschatis celebratione, quo videlicet die,  
illud sit celebrandum? sed solum cum Iudaicis  
non esse observandum? Sed respondeo, ex illis  
ipsis verbis colligi posse, dum dicit: omnes ori-  
entia-

Alia obje-  
ctio de Pa-  
schatis cele-  
bratione.

entales, qui prius cum Iudaicis pascha, luna deci-  
ma quarta celebrarunt, consentientibus animis,  
Romanorum morem, qui dominico die, post  
lunam decimam quartam idem perpetuò obser-  
varunt, amplexos esse. Hunc horum verborum  
sensum esse, Beda lib. 3. Ecclesiastica historia  
cap. 25. de paschatis celebratione, expressis ver-  
bis, sicut & Constantinus Magnus, in Epistola  
de eadem re, ad Ecclesias missas, per superius  
adductos Doctores testantur. Patrocinantur  
his & Synodus Antiochena ac Chalcedonensis,  
in presentia sexcentorum & triginta Episcopo-  
rum celebrata, Leone Magno imperatore regnā-  
te. Ambrosius in Epistola 83. ad Episcopos,  
per Æmiliam constitutos. Beda in lib. de tem-  
porum ratione cap. 42. Eusebius lib. 5. Eccle-  
siastica historia cap. 22. Cyrillus Patriarcha  
Alexandrinus, in sermonibus Heortisticis, &  
in Epistola ad Innocentium Papam primum.  
Albertus Pighius in libro de ratione paschalis  
celebrationis, & Calendarii restitutione propo-  
sitio:



sitione octava. Protherius presul Alexandri-  
nus, in Epistola ad Leonem Papam primum,  
qui per Martianum Imperatorem curavit, ut  
Episcopus Alexandrinus, Cyclum paschalem  
Theophili diligentius explicaret. Beda de tem-  
porum ratione cap. 430. Et in lib. de Æquino-  
ctio, ad Wichfredum in principio. Ex qua-  
rum Synodorum, Et Patrum autoritatibus, Et  
locis à me adductis, clarè liquet atq; patet, in pri-  
mis verò ex prius à me Protheris adducta epi-  
stola, in qua Romanos à Divo Petro, Alexan-  
drinos verò à divo Marco didicisse legimus,  
nec Pascha nostra celebrationem, ex commentis  
novis Pontificum, vel conciliorum decretis, sed  
à principio ecclesie nascentis, à traditione Apo-  
stolica, esse apud plerasq; Ecclesias ita servatum,  
ut pascha Christianorum, ex Ecclesie precepto,  
non alio die celebraretur, quam dominica pri-  
ma, post lunam decimam quartam primi men-  
sis, Et non cum Iudæis, qui luna 14. Pascha ce-  
lebrabant. Quemadmodum expressis verbis Be-  
da

dà quoq; in libro, de temporum ratione cap 43,  
hoc testatur, Et Ceolfridus Abbas apud Bedam,  
libro quinto Ecclesiastica historia cap 22. hoc  
docet: Beatum Petrum cum Roma predica-  
ret, Pascha hoc tempore celebrandum esse intel-  
lexisse, esseq; id Evangelicam Et Apostolicam  
traditionem, atq; ipsis Apostolorum temporibus,  
maximè Roma, Et in Ægypto ita in Ecclesia  
cepisse. Hisce nunc sufficienter ita probatis, quod  
videlicet Pascha, post lunam decimam quartam  
primi mensis sit celebrandū, die videlicet domi-  
nico. Dubiū hic movere quidā ex recentiorib;  
ceperunt, qui nā primus ille mensis rectè dicere-  
tur? Alii n primum eum intellexerunt esse, cuius  
novilunium diei æquinocitii vicinius est. Alii  
eum, ut ego quoq; primum mensem nomina-  
runt, cuius luna decima quarta, in æquinocitii  
diem incidit, aut eum proximè sequitur. Qui  
prioris opinionem defendunt, illi se turpiter er-  
rare sciunt. Fieri n. potest, ut duo novilunia  
æqualiter, ab æquinocitii die distent, unum qui-

Dubium.  
Primus men-  
sis in pascha  
celebratione  
quid sit di-  
cendus.



dem ante, alterum verò post. Atq; ut hac res  
magis ab autoribus intelligatur, constituam a-  
quinoctium incidere in 21. Martii, pleniluni-  
um verò medium, siue mediam luminarium op-  
positionem, in meridiem diei 21. Martii. His  
ita constitutis, deprehendo tanto intervallo à  
meridie diei 21. abesse novilunium medium,  
quod diem aequinoctii precedit, quanto inter-  
vallo ab eodem novilunium medium distat; quod  
eundem diem aequinoctii sequitur. Utrunq; ne  
à plenilunio medio abest 14 diebus hor. 18 min.  
22. 2. secund. Sed rectius Beda, hoc ipsum dubi-  
um, in lib. de temporum ratione cap. 49. decidit  
ac solvit, simul etiam Victorium suo tempore re-  
prehendens, qui primum mensem aliter, & lu-  
nas quartasdecimas paschales numerare solitus  
est, dicens: Nos Ægyptiam calculandi disci-  
plinam, quæ tuo iudicio & consensu universalis  
Ecclesia verior est, omnino sequendam scimus,  
primi videlicet mensis principium, ab octavo  
Iduum Martiarum, usq; in Nonarum Aprili-  
um diem.

um diem. Quartasdecimas verò lunas paschas  
à duodecimo Calendarum Aprilium, usq; in dec-  
imum quartum Calendas Maias. Porro diem  
pasche Dominicum, ab undecimo Calendarum  
Aprilium, usq; in septimum Calendarum Maias-  
rum, & hoc in luna decima quinta, usq; in vi-  
cesimum primum diem esse querendum. Ex quibus  
verbis manifestè constat, Bedam lunam de-  
cimam quartam paschalem, in diem aequinoctii  
collocare, & ultimam in diem decimum octa-  
vum Aprilis. Indeq; colligendum est, Bedam  
statuere, primum mensem, id est paschalem,  
eum esse, cuius luna decima quarta cadit vel in  
diem aequinoctii, vel ipsum proximè sequitur.  
Cuius rei exempla, qui plura investigare cupit,  
eundem Bedam cap. 43. & 57. ac sexagesimo  
eodè libro relegere poterit. Cum igitur tria hæc,  
ab omnibus, ut pascha iusto tempore celebretur,  
in Ecclesia observanda sint ex decretis concilio-  
rum & patrum, aequinoctium videlicet vernum,  
luna decima quarta primi mensis, & prima  
Domi-



Dominica post illam lunam decimam quartam  
(mobilia n. festa reliqua omnia inde dependet)  
à concilio Nicano constitutum est, ut aquino:  
Etio verno dies vicesimus primus Martii tribu:  
eretur, quo die, aut circiter æquinoctium factū  
est. Hoc posito, sequitur, ut dies ille decimus  
quartus luna, qua diem vicesimum primum  
Martii antecedit, ad ultimum anni mensem  
pertinet, & non ad primū, & propterea ad pas:  
cha celebrationē, aptus etiā non sit. Dies verò  
decimus quartus luna, qua in 21. Martii inci:  
dit, etiamsi in eum diem non incidat, que post  
vicesimum primum diem Martii primo loco oc:  
currit, ad pascha tamen celebrationem legitima  
dicetur. Atq; ita ex his iam dictis, clarè liquet  
atq; patet, omnia novilunia, ac ea sola, que ab  
octavo die Martii inclusivè, usq; ad quintum  
Aprilis accidunt, quorum numero sunt viginti  
novem, esse paschalia, quorum viginti quatuor,  
in posterioribus viginti quatuor diebus Mar:  
tii, & quinque in prioribus quinque Aprilis diebus  
acci-

accidunt. Horum n. viginti novem mensum  
lunarium, nulla dies decima quarta, diem vi:  
cesimum primum Martii, in quo æquinoctium  
constitutum est, antecedit, sed cuiuslibet dies  
decimus quartus, Æquinoctii diem, ut dictum  
est, sequitur, excepto primo novilunio, cuius di:  
es decimus quartus, in vicesimum primum diem  
incidit. His sic dispositis, manifestum nunc est,  
quo die pascha iusto tempore celebrari possit ac  
debeat, videlicet à vicesimo secundo Martii in:  
clusivè, aliquem istorū dierum definiendo, usq; ad  
vicesimū quintum diem Aprilis, ita, ut primum  
pascha die videlicet secundo Martii, postremū  
verò ac ultimum, vicesimo quinto Aprilis, ritè  
celebrari possit. Atq; ita totius solennitatis pa:  
schalis latitudo, triginta quinque dies compre:  
hendat, quorum decem priores, finē Martii spe:  
ctant, viginti quinque autē posteriores, ad princi:  
piū Aprilis referuntur. Hac à me hæcenus dicta,  
ut auditores melius assequi possint, uno atq; alte:  
ro exemplo, à me adducto explicabo: Si dies vi:  
cesimū  
F  
cessi:



cesimus primus Martii, dies sabathi, in quem dies decimus quartus luna cadit, qua prima paschalis est, quo posito, sequenti die Dominico, id est 22 Martii, solennitas Pascha celebrabitur, nec antea unquam ante hunc diem, Pascha celebrari potuit, sicut nunquam etiam post concilium Nicanum quoque, celebratum esse invenio. Sit rursus dies decimus octavus Aprilis,

*Ambrosius in Epist. ad Episc. per B. milianam constitutos, Naturalis inquit usus nationum exterrari est, lunam pro diebus appellare. Varro de re rust lib. 1. cap. 37. Lunam primam & lunam extremam, diem primum & novissimum mensis dicit.*

dies dominicus, in quem dies decimus quartus luna incidit, recte Pascha sequenti die dominico, videlicet 25 Aprilis celebrari poterit, utpote quia paschalis postrema est, nec unquam pascha, post hunc diem celebratum esse, scriptis proditum est. Quos terminos tamen omnes, non privatim aliquem, sed auctoritate concilii Nicani, postquam aequinoctium in 21 diem Martii collocatum est, ordinatos esse certum est. Alterum caput, in paschatis celebratione, quod nos observare decet, est de noviluniis, vel diebus 14. luna, de quibus magna dissensiones, a Synodo Nicena, usque ad Justiniani Imperatoris

tempora

tempora cum fuerint, tandem constitutum est, ut omnes iisdem diebus, primam diem luna pronunciarent. Ac ut hoc ipsum commodius fieret, novendecim aurei numeri à Dionisio Abbate, & ab Alexandrinis propagati, in Calendario tali artificio sunt constituti, ut quilibet ex diei, in quolibet mense praefigeretur, in quo novilunium illo anno accidit, & numerus praefixus in usu fuit. Hac ut melius intelligantur, uno atque altero exemplo declarabo: Sit aureus numerus currens unitas, iam toto eo anno, novilunium in illa die cuiusque mensis accidit, cui aureus numerus, unitas videlicet praefixa est. Atque ita novilunia in diversos semper dies, cuiusque mensis incidunt, prout omnes 19. aurei numeri, diversis mensium diebus sunt annotati, donec anni novendecim sunt elapsi, post quos postea aureus numerus, unitas videlicet, rursus redit, inde quoque novilunia rursus, ad eosdem dies redeunt, de quibus in sequentibus prolixius. Tertium caput, quod in paschatis celebratione

F 2

observ



observandum est, nominatur cyclus literarum  
Dominicalium, annos viginti octo complectens,  
qui propterea inventus est, ne ulla in Domini-  
ca diei celebratione, inter homines Christianos,  
esset diversitas, de quo postea, in ultima parte no-  
stra orationis prolixius. Et magis fundamenta-  
liter dicam. Atque haec paucis de Pascha cele-  
bratione, in medium adferre volui, quae non sine  
gravi deliberatione, ut supra dictum est, aucto-  
ritate Synodi Nicenae sunt constituta. Proxi-  
mum nunc est, ut de reliquis capitibus hoc tem-  
pore ordine dicam, propter quae corrigi Calen-  
darium necessarium fuit, Et in quibus capitibus,  
correctio illa consistat, primo videlicet in equi-  
noctii restitutione, de qua, cum variae opiniones  
multorum doctorum haecenus fuerint, de illa quoque  
paucis, ratione temporis habitas, ut dicam, primo or-  
portet. De correctione Calendarii, quotquot men-  
tionem fecisse hoc tempore lego, illos omnes, aut  
maioris partem eo respexisse deprehendo, quod  
videlicet equinoctium die vicesimo primo Martii

De equino-  
ctii restituti-  
one variae o-  
piniones.

non

non accidebat, ut tempore Synodi Nicenae, sed  
undecimo ferè die dictimensis. Deinde, novi-  
lunia quoque, non convenienti tempore, beneficio  
aureorum numerorum indicabantur, spatium  
quatuor dierum interdum excedentes, interdum  
tardius evenientes. Inde postea factum est, ut  
Pascha saepius quoque, contra decretum Synodi  
Nicenae, usque ad tempus correctionis Calendarii,  
sit celebratum. Cum n. ut dictum superius est,  
primus mensis lunaris vel paschalis ille sit, cuius  
dies decimus quartus lunae, vel in equinoctii die  
em cadit, vel etiam ipsum statim sequitur, an-  
te correctionem autem Calendarii, cum equino-  
ctium vernum, in undecimum Martii incidat,  
sicut adhuc apud illos accidere legitur, qui vete-  
ri utuntur, hoc inde sequitur, omnes lunas deci-  
mas quartas, ab undecimo die Martii, usque ad  
vicesimum, ex decreto Synodi Nicenae esse pa-  
schales, id est primi mensis, quas tamen ecclesia  
semper reiecit, utpote quae ad ultimum mensem  
spectarent, ac equinoctium praecederent, propterea

F 3

quod



quod equinoctium vernum, ex decreto concilii  
Niceni, diei vicesimo primo Martii esset depu-  
tatum. Inde postea hoc absurdum secutum est,  
ut quotiescunq; luna dies decimus quartus, diem  
Martii decimum secutus est, & vicesimum  
primum diem antecessit, Pascha in secundo  
mense celebrarunt. Atq; huic malo, si remedi-  
um nullum hoc tempore fuisset adhibitum, luna,  
decima quarta paschales fuissent inutiles, atque  
ita successu temporis, Pascha non in secundo  
tantum, sed etiam in tertio vel quarto mense,  
vel etiam in ipsa estate, celebratum tandem fuisset,  
quod à concilio Niceno planè esset alienum.  
Accedit & hoc, propter quantitatem quatuor  
dierum superius dictorum, & additamentum  
eorundem, ubi novilunia per aureos numeros  
tardius, quam quod fieri debebat, in Calendario  
signata sunt, hoc inde secutum esse, ut Pascha,  
vicesima quinta luna sit celebratum tunc, quādo  
luna decima quarta, per aureum numerum est  
inventā, quae tamen revera erat luna decima  
octava,

octava, & inciderebat tunc in diem Dominicū,  
propterea etiam Pascha tunc, in sequentem diem  
Dominicum translatum est. Hac cum manife-  
stè contradicant Synodo Nicena, qua iubet  
Pascha celebrari debere, luna decima quarta,  
primi mensis exclusivè, usq; ad vicesimum pri-  
mum diem eiusdem mensis inclusivè. Error hic,  
nisi studio literatorū iam fuisset correctus, ma-  
ior quotannis factus esset, atq; crevisset ita, ut  
Pascha tandem vel luna tricesima, vel etiam in  
ipso novilunio, vel tertia, prima vel secunda  
luna esset celebratum. Hisce duobus erroribus,  
de verno equinoctio, & luna decima quarta re-  
rè perpensis & observatis quam decreta patrum,  
quemadmodum annis elapsis aliquot, videlicet  
1576. & 1579. videre licet, ubi Calendarii  
correctio nondum suscepta est, Pascha interdū  
septem, interdum viginti, aut etiam 35. diebus  
tardius celebratum est. Atq; idem eodem mo-  
do, in aliis annis futuris, anno videlicet 1609,  
& annis 1603. item annis 1606, nisi Calenda-  
rium



rium esset correctum, accidisset, ut videlicet paschatis celebratione, error triginta quinque dierum committeretur. De aliis annis nunc non dicam, & fortassis etiam auditoribus non esset iucundum, plures recensere, in quibus error viginti octo dierum, interdum septem committeretur. Quae omnia absurda, ut in posterum vitarentur, aequinoctium ad priorem diem, videlicet vicesimum primum Martii, prout tempore Synodi Nicenae factum esse legitur, est translatum, novilunia per numeros in Calendario dispositos, ita deinde monstrantur, ut eorum plenilunia, nequaquam ab illis dissentirent, quae in calculo medii motus deprehenduntur. Ad aequinoctii vero restitutionem quod attinet, ad dictum diem, opus fuit, ut aliquot dies eximerentur, quo facto, necesse quoque fuit, ut cyclus solaris, sive litterarum dominicalium, cuius adhuc hodie in ecclesia usus est interrumperetur. Quis tamen Cyclus ita renovandus est, sive ante, sive post Calendarii correctionem, quocumque anno, ut

commoda

commodè inveniri possit. Etsi autem multi fuerint hoc nostro tempore, qui in principio correctionis Calendarii, hanc ipsam aequinoctii reductionem ad 21. Martii, reprehendere ausi fuerunt, ac undecimo Martii assignari, in Calendarii correctione voluerunt, quemadmodum & antea diu mansit. Alii ad diem passionis Christi, videlicet vicesimum quintum Martii, transferendum esse voluerunt, utpote quod Christus eo die, qui verno aequinoctio vicinus est, passus sit. Alii decretum Synodi Nicenae observantes, ad vicesimum primum diem Martii, ut dictum est, reduci, ut & antea tunc temporis deprehensum est, voluerunt. Sed ultima haec opinio, apud Gregorium decimum tertium pontificem maximum, tum etiam ipsorum in pontificis maximi reformando Calendario consiliariorum opinio, fixa mansit, sicut & Concilii Niceni tempore, & quidem graves ob causas, ut ante aliqua ex parte dictum est, ne

G

vide-

Opiniones  
autorum di-  
versarum, de a-  
equinoctii re-  
ductione no-  
va.

I.

II.

III.

Causa  
Cur aequino-  
ctium ad vi-  
cesimum pri-  
mum Martij  
sit reductum.

I.



II. videlicet novitatis & mutationis auctor dice-  
retur, si in alium diem transferretur. Deinde  
de ut termini paschales iidem, quos concili-  
um Nicenum constituit, manerent, qui ita  
sunt constituti, ac si equinoctium vernum per-  
petuò 21. die Martii maneret. Tertiò, Eccle-  
siarum orientalium, quarum plurima sunt,  
habenda quoque ratio fuit, qua canonem de pas-  
chate celebrando, tempore concilii Niceni  
studiosissimè observarunt, hac n. ratione, de-  
cretum tempore concilii Niceni factum, quo  
videlicet tempore Pascha celebrari deberet,  
integrum mansit. Addunt alii & alias rati-  
ones, qua tamen, licet videantur prima fron-  
te leves, omninò tamen non puto planè eas re-  
iiciendas esse, videlicet ut festa sanctorum  
certis diebus celebrarentur, martyrum vide-  
licet, qui sub Decio & Diocletiano, ecclesia  
Christi persecutoribus crudelissimis vixe-  
runt; confessorum, qui tempore Synodi Nice-  
nae, aut circiter, Basilii, Ioannis Chrysostomi,  
Ambro-

Ambrosii, Augustini, Hieronymi, in eccle-  
sia illustrata sua confessionis testimonia nobis  
reliquerunt, eaque imitari, sancta antiquitas  
in vita nos voluit. Quorum memoriam om-  
nium, ut in Ecclesia conservaretur, equino-  
ctii tempore restituto & observato, Synodus  
Nicena praecepit. Quomodo autem reductio  
illa equinoctii verni, in novo hoc Calendario  
Gregoriano, ad vicesimum primum Martii  
sit instituta, querere aliquis posset? Sed re-  
spondeo paucis, decem dies ex mense Octobri,  
anno 1582. exemptos esse, ita, ut post quara-  
tum diem Octobris, quintus decimus, loco  
diei quinti assumptus sit, decem diebus illo  
anno neglectis. Hoc modo deinde factum est,  
ut equinoctium vernum, anno 1583. proxi-  
mè sequenti, & sequentibus aliis tardius de-  
cem diebus contigerit, quàm ante hanc cor-  
rectionem. Et quoniam antea circa undeci-  
mum Martii, equinoctium factum est, idem  
nunc, circa vicesimum primum diei Martii

Equinoctij  
verni red-  
uctio, in novo  
Calendario  
quomodo sit  
facta.



accidere animadvertamus, quemadmodum  
Et circa concilio Niceni tempora, factum esse  
se legitur. Nec per omissionem decem dierum  
intercalarium, in quadraginta annis, siue per  
detractionem eorundem decem dierum, ex  
decem mensibus, demendo singulos dies ex sin-  
gulis mensibus (quemadmodum aliqui puta-  
runt faciendum esse) sed per ablationem de-  
cem dierum simul, ex uno mense, restitutio haec  
facienda fuit. Multa enim in annis quadra-  
ginta occurrere potuissent, quae hanc correctio-  
nem impedirent. Deinde, Et Cyclus litera-  
rum Dominicalium, aliquoties debuisset in-  
terrumpi, qui semel tantum, in hoc loco resti-  
tutionis aequinoctii, est interruptus. Mirari  
autem aliquis fortassis posset, cur exemptio illa  
decem dierum ex Octobri potius, quam ex  
Februario, Martio Et Aprili, vel alio men-  
se facta sit: sed responsio facilis dari potest,  
quia nimirum is mensis, ad hanc rem aptissi-  
mus est, partim quia septuagesima, quadra-  
gesima

Exemptio  
decem dierum  
cur potius  
ex Octobri  
quam alio  
mense sit facta.

gesima, Et tempus paschatis in tres menses inci-  
dunt, atque ita facile fieri non potest, ut de-  
cem dicti dies, ex uno mense abriperentur, sic  
n. futurum esset, ut tempora illa religioni de-  
dicata, a veteribus, destructo ordine interrump-  
perentur. Septuagesima enim decima quarta die  
Februarii si celebraretur, iuxta novi Calen-  
darii compositionem, tunc hoc absurdum inde  
sequeretur, quod omissis decem diebus praece-  
dentibus, quatuor tantum dominicae, post Epi-  
phaniam superessent, reliquas autem duas, an-  
te adventum interponi impossibile esset, quia  
videlicet eo anno tantum viginti quatuor do-  
minicae, post Pentecosten essent. Deinde Et  
mensis October, ad negotiationem in vita po-  
litica, praeter omnibus aliis est aptissimus. Sed  
dem autem suam pristinam, a Synodo Nice-  
na, Aequinoctio verno destinatum, diem vi-  
delicet 21. Martii, cur reliquerit Aequino-  
ctium, Et nunc hoc nostro tempore, undeci-  
mum Martii, secundum veterum calculati-  
onem

Aequinoctium  
cur vice simum  
primum Martii  
reliquerit  
Et undeci-  
mum Martii  
occupavit  
ante Calen-  
darii corre-  
ctionem.



onem rursus occuparit, ratio hac est: quod Julius Caesar, tunc temporis, quantitati anni solaris, magnitudinem maiorem tribuerit, quàm deberet, videlicet trecentos sexaginta quinque dies, sex horas. Sed quia sex iam dies et hora, in anno civili sunt omissa, qui dies integros tantum complectebatur, quæ collectæ quarto anno, diem integrum conficiunt. Inde factum est, ut quarto quovis anno, dies integer conficeretur, atque dies ille integer, quarto anno inferius, nomē anni bissextilis obtinet, vel ut germani loqui solent, ein Schalt-Jahr ab intercalando dicitur. Tropicus autem annus, vel solaris verus, cum secundum tabulas Alphonsinas minor sit, et dies tantum 365, horas 5. min. 49. secundas 16 complectatur, anni magnitudo media, inter maximam et minimam apud Astronomos dicitur. Ac artifices observantes quantitatem anni solaris, deprehenderunt inter eos maximam differentiam, Albategni tempore minimam.

maximam, Hipparchi ac Ptolomai tempore maximam, mediam verò circa Alphonsi regis tempora fuisse, ac nunc de novo ad maximam rursus magnitudinem excrevisse. Annus igitur Romanus, superat Alphonsinum, quem medium alias, inter maximum et minimum nominant, min. 10. secund. 44. unius hora. Cumque æquinoctia et solstitia, tot minutis et secundis, quolibet anno Juliano, ut dictum est, anticipent, ac æquinoctium et solstitium ad idem punctum, à quo recesserant, secundum tabulas Alphonsinas, motu solis proprio revertitur, tunc ad annum Iulianum complendum, minuta et secunda superius dicta desunt. Inde fit, ut æquinoctia et solstitia in annis 134. integrum diem, in quadringentis verò et duobus annis, circiter tres dies, secundum superius dictas tabulas anticipent. Quod nequam accideret, si motus solis annuo, anni magnitudo eadem congrueret. Contra hac tam à me in medium prolata, de æquinoctii re-

stus

Æquinoctia  
in sua sede  
ut retinean-  
tur, qui mo-  
tus obser-  
vandi.



stitutione & capitibus annexis, licet plures fuerint, qui evertere, nescio, quibus argutiis Mathematicis hac voluerunt, sicut & alii quot illorum argumenta in medium adferre constitueram, tamen cum deprehenderim, talia magis studio contendendi, quam veritatis inquirenda causa, in medium esse allata, ratione temporis habita, ea hic in medium proferre nunc omitto.

II. Proximum nunc est, ut de noviluniorum emendatione, altero capite correctionis Calendarii Gregoriani dicam, quae à tempore Synodi Nicenae, ad nostram usque aetatem, per quadriduum & paulò amplius, ad initia mensium progressa esse, paulò post demonstrabo, qua de re Reinholdus quoque, in Calendario suo mentionem facit, & Garceus canone si. in tract. de tempore, eadem affirmat, ubi primum investigavi, cyclum decemnovenalem vel lunarem aurei numeri, à Metone Atheniensi, mirabili artificio circa Olimpiadem octua-

De emendatione Noviluniorum, altero capite correctionis Calendarii Gregoriani.

octuagesimam sextam excogitatam, & ad novilunia indaganda, à plerisque nationibus receptam. Hae autem ut melius intelligantur, praemittendum prius esse iudicavi, quae ratione cyclus decemnovenalis aurei numeri, cum novendecim annis solaribus, tanquam fundamento nostrae disputationis proposita conveniat. Ac annum lunarem duplicem esse, ex doctrina Astronomorum certum est, civilem vel politicum, & Astronomicum. Civilis postea rursus subdividitur, in communem videlicet & embolismalem. Communis, diversa quantitate dierum constat, aliquando n. trecentis quinquaginta quatuor diebus constat, & tunc plenus ab artificibus dicitur, aliquando trecentos quinquaginta tres dies habet, ac cavus seu deficiens dicitur, & lunationes duodecim complectuntur ambo. Sed in anno embolismali, aliter sese res habet, ac plane diversa ratio est. Interdum n. 384. dies continet, & plenus dicitur, interdum verò

Cyclus Decemnovenalis ad novilunia aurei numeri indaganda receptus.

Annus lunaris duplex.

Annus Civilis duplex.

H 383. dies



383 dies complectitur, & cavius appellatur,  
acuterq; tredecim lunationes habet. Annus  
autem astronomicus lunaris, qui etiam medi-  
us dicitur, complectitur quoq; aliquot horas,  
& scrupula horarum, exceptis diebus inte-  
gris. Communis verò, duodecim lunationes  
continet, qui alias in quantitate dierum &  
scrupulorum, dies habet 354. hor. 8. min. 48  
sec. 38. Tert. 12. ferè. Embolismalis verò  
tredecim lunationes, ac dies ferè 383 hor. 21.  
min. 32. sec. 4. tert. 23. quod hac ratione in-  
vestigari poterit: si unus mensis lunaris iuxta  
intervallum temporis, ab uno novilunio me-  
dio ad aliud, secundum medium motum lu-  
nae, complectitur dies 29 hor. 12. min. 44. sec. 3.  
Tert. 11. iuxta calculam Prutenicum. Hac  
mensis magnitudo lunaris, licet parum ab ea  
distet, quam Ptolemaeus & Copernicus con-  
diderunt, ac in Alphonsinis tabulis compre-  
hensa sunt, tamen omnes eam maiorem sta-  
tuunt. Nostram n. magnitudinem mensis lu-  
naris

Anni em-  
bolismalis  
quantitas.

naris constitutam, quando sequimur, talis  
quantitas dimidiata mensis lunaris inde  
provenit, videlicet dies 14. hor. 18. min. 22.  
sec. 1. Tert. 36. Quarta verò pars mensis lu-  
naris, dies 7. hor. 9. min. 11. sec. 0. tert. 48.  
habet. Quae numeratio mensis lunaris, licet  
in Calendario hoc modo añotari nō potest vel  
debet, quia dies tantum integri apponuntur,  
eius tamen cognitio ideò necessaria est, ut  
mensium lunarium civilium, cum anno solar-  
i, aliqua convenientia dari possit. Hoc au-  
tem alia ratione, vel modo fieri non potest, nisi  
beneficio Cycli decemnovenalis. Ponamus  
in Cyclo decemnovenali, exempli causa, mens-  
sem lunarem civilem, esse dierum 29. hor. 12.  
scrupulis horarū omisis. Postea numeri Cycli  
decemnovenalis, ad novilunia inquirenda, hoc  
modo sunt ponenda ut lunationes iā triginta,  
iā verò 29. dies alternis cōprehendant. His sic  
positis, sequitur, ut duodecim horas, sequens  
lunatio auferat, quae antecedenti lunationi plus  
tribuuntur. Atq; ita lunationes duae, quin-



quaginta novem dies comprehendunt, inde  
postea sequitur, ut lunationes duodecim, tre-  
centos quinquaginta quatuor dies faciant,  
annum videlicet civilem lunarem. Ac cum  
annus lunaris civilis, undecim diebus minor  
sit, anno solari constante diebus 365, inde  
postea sequitur, ut novilunia sequentis anni,  
plerunq; diebus undecim citius accidant, quā  
novilunia anni prioris. Fingamus, exempli  
causa, hoc anno novilunium aliquod accide-  
re die vicesimo nono mensis, quod postea die  
decimo octavo sequentis anni, in eodem men-  
se, rursus accidat, & sic in sequentibus, donec  
anni novendecim sunt completi, ibi novilu-  
nium illud rursus, in eundem diem vicesi-  
mum nonum incidit, hanc ob causam, quod  
omnes menses lunares, comprehensi in annis  
novendecim solaribus, tot dies & horas com-  
plectantur ferè, ex quot anni novendecim so-  
lares consistunt. Quantitatem n. anni solaris,  
ex Julii Caesaris constitutione, si considera-

mus,

mus, qua est 365. dierum hor. sex, & postea  
añorum novendecim solarium quantitatem,  
si perpendimus, deprehendemus dies 6939.  
hor. 18. in quibus lunationes ducenta triginta  
quinq; sunt, iuxta medium motum luna, atq;  
ita tot lunationes civiles, in iisdem noven-  
decim annis solaribus cōprehenduntur. Dies  
n. 6939. hor. 16. min. 32. sec. 28. tert. 5. luna-  
tiones ducenta triginta quinq; media requi-  
runt, atq; ita anni solares novendecim, supe-  
rant ducentas triginta quinq; lunationes me-  
dias, hor. unica, min. 27. sec. 31. tert. 55.  
Inde colligitur novilunia media, novende-  
cim annis solaribus transactis, iisdem quidē  
diebus mensum contingere, quibus ante an-  
nos novendecim, sed non iisdem horis preci-  
se, sed aliquanto citius, observata excessus  
ratione in tempore, quo luna constituta, sibi lo-  
ca in Calendario, in annis novendecim ante-  
vertit. Atq; ita in quatuor Cyclis decemno-  
valibus, hoc est in annis 76, luna suas eas-

H 3

dem



Dubium.  
Virū ducenta  
triginta  
quinque luna-  
tiones ci-  
vilem in annis  
novendecim  
solaribus  
comprehen-  
dantur.

dem sedes anticipat, hor. 5. min. 50. sec. 7. tert. 40. qua proportio, postea observata in annis trecentis duodecim & dimidio, horas ferè viginti quatuor integras, vel diem integrum facit. Inde postea à tempore Synodi Nicena, ut supra dictum est, novilunia per quadriduum, & paulò amplius sunt progressa. Si quis autem in dubium vocare, iam à me dicta vellet, quod videlicet lunationes civiles ducenta triginta quinque, in novendecim annis solaribus non comprehenderentur, quemadmodum à quibusdam magis cavillatorio more, quàm astronomicis fundamentis, evertere hac voluisse deprehendo. Illis respò: deo primùm, quemlibet annum solare, habere duodecim lunationes, quarum aliqua triginta, aliqua viginti novem dies habent, & quidem alternis, qua dies constituunt trecentos & quinquaginta quatuor. Ergò novendecim anni dabunt, proportionè habita, lunationes ducentas & viginti octo, & dies  
super

supererunt ducenti & novem, ex undecim diebus provenientes, quibus annus solaris, lunare superat. Dies n. ducenta & novem, septem lunationes embolismales, vel extraordinarias constituunt, ubi sex singula, triginta dies efficiunt, una verò, viginti novem dies habet. Ha lunationes septem embolismales, adiecta ducentis ex viginti octo, lunationes ducentas & triginta quinque, efficiant. Inde ratiocinandum postea est, rectè ab antiquis dictum esse, Cyclum lunarem comprehendere annos solares novendecim, utpote quod ducenta & triginta quinque, lunationes, in tanto temporis spatio compleantur, quæ in eodem intervallo iuxta medium motum luna contingunt, excepta differentia superius dicta, qua fuit hora unius min. 27 sec. 31. tert. 55. Ratione Cycli decemnovenalis, nunc proposita, qua annos solares novendecim, ipsi æquari docui proximum nunc est, ut de aureo numero, qui pars est Cycli decemnovenalis, aliqua  
moneam,



De aureo  
numero, qui  
pars est Cy-  
cli decemmo-  
renalis, &  
eius usus a  
pud veteres.

moneam, per quem novilunia, iuxta doctri-  
nam veterum, sapienter & magno consilio  
sunt investigata, sed hoc tempore diligentio-  
ri Astronomorum observatione, per Epactas  
& alio modo, transposuo videlicet aureo nu-  
mero, postea correcta nunc esse invenio. Ve-  
teres igitur, annis novendecim transactis,  
ubi novilunia observarunt, eaq; ad eosdem  
dies reverti, numeros novendecim consti-  
tuerunt, ab unitate incipientes, quos aureos  
vocarunt, eosq; iuxta dies posuerunt, quibus  
spatio novendecim annorum, novilunia acci-  
derunt. Exempli gratia, unitas huic diei  
apponitur, in quo currente aureo numero, vi-  
delicet unitate, novilunium fit. Rursus,  
currente aureo numero binario, numerus bi-  
narius, ei diei tunc apponitur, in quem novi-  
lunium incidit, atq; ita deinceps de ceteris  
quoq; progrediendo, usq; ad numerum decem  
& novem dierum, iudicandum erit, hac ta-  
men cautela adhibita, cum lunationes iam  
usq;

usq; ad tricesimum, iam vero ad vicesimum  
nonum diem alternis sese extendant, ac novi-  
lunia unius anni, novilunia precedentis an-  
ni, cum plerumq; undecim diebus praeveniāt,  
propter undecim illos dies, quib; annus com-  
munis solaris, lunarem superat. In hac autem  
aurei numeri dispositione, & veterum ordi-  
natione, hoc principaliter animadvertendum  
est, ordinem naturalem, in numeris illis,  
quod ad positionem, propter undecim dies,  
quibus annus solaris lunarem superat, non  
servare, sed maiorem plerumq; minorem pra-  
cedere, quemadmodum etiam peculiare ta-  
bula apud Garceum, & alios modernos, in  
tractatu de tempore hanc ipsam materiā tra-  
ctantes, addita sunt. Ac ut melius hac intel-  
ligantur, uno atq; altero exemplo auditoribus  
declarabo. Ponamus aureum numerum uni-  
tatem, iuxta diem aliquem alicuius mensis,  
sequens aureus numerus binarius maior, un-  
decim diebus, versus principium mensis eum  
I  
praece-



præcedit, decem diebus interpositis, hanc ob  
causam, quia anno sequenti, novilunium  
eiusdem mensis, undecim diebus, novilunium  
anni superioris antecedit. Idem in aliis au-  
reis numeris observandum est, ac raro maior  
minorem proximè sequentem, decem diebus  
tantum antecedit, duodecim tamen rarius,  
Cycli natura decemnovenali id postulante.  
Inde sequitur quod quilibet aureus numerus  
in Calendario positus sequens, constituendus  
vel ponendus ita est, per additionem numeri  
octonarii, ad antecedentem aureum numerum,  
si summa maior fuerit quam novendecim, no-  
vendecim tunc sunt demenda, aut etiam un-  
decim, ex aureo numero antecedenti subtrahē-  
da, novendecim prius additis, si numerus au-  
reus superior maior, quam undecim non fue-  
rit, ut commodè subtractio fieri possit. Econ-  
tra, si antecedens aureus numerus, formatur  
per additionem undecim ad sequentem, tunc  
novendecim sunt abicienda, si maior summa  
fuerit

fuerit, quam novendecim, aut octonario nu-  
mero detracto, ex aureo numero sequenti, tunc  
novendecim prius addenda sunt, si numerus  
sequens maior non fuerit, numero octonario.  
Quomodo autem aureus numerus sequens, ab  
antecedenti, formandus sit, per additionem  
numeri octonarii, vel subtractionem numeri  
indixad<sup>o</sup> iam audietis. Octo annis solaribus  
singulis, quando tribuimus dies 365. horas  
sex, tunc collecta faciunt dies bis mille nongens-  
tos & viginti duos, in quibus lunationes no-  
naginta novem sunt ferè, excepta ultima lu-  
natione, cui deest dies unus, hora duodecim,  
min. 41. sec. 15. tert. 9. Nonaginta enim no-  
vem lunationes, iuxta medium motum luna,  
efficiunt dies bis mille, nongentos & viginti  
tres, hor. 12. min. 41. sec. 15. tert. 9. His ita  
constitutis, inde sequitur, ut lunationes, cla-  
psis octo annis, non incipiant in iisdem die-  
bus, quibus ante annos octo, novilunia facta  
sunt, sed uno die & duodecim ferè horis tar-

Aureus  
numerus se-  
quens ab an-  
tecedenti  
quomodo  
formandus  
sit.



dius. Quapropter post quemvis aureum numerum, aureus numerus maior illo, octo unitatibus in Calendario deinde annotatur, quo significatur, post octo annos novilunia, non in eosdem dies incidere, quibus aureus numerus antecedens, annotatus est, sed in illos, quibus sequens aureus numerus ab antecedenti, per additionem numeri octonarii factus ascribitur. Si verò sequens aureus numerus, antecedentem proximè sequitur, tunc lunatio sequentis aurei numeri, duodecim horis anticipat, & propterea aliter aureus numerus, non statim sequens illum, scribendus est, sed spatium vacuum unius diei relinquendum, ne lunatio eius uno die integro praeveniat. Atque ita aureus hic numerus, à primo tertius, à quo per additionem se decim formatus est, tertio loco post eum annotatur, sicut & e contra lunatio tribus diebus tardius, quàm illius incipit. Virum autem maior numerus minorem sequi debeat, vel minor maiorem, certa ratio

ratio nulla dari potest, quae alicuius momenti esset, cum ratio lunationis utroque modo constare possit. Cum n. luna qualibet, anni die maior est undecim diebus, quàm in eodem die anni praeteriti, propter quantitatem undecim dierum, quibus annus solaris lunarem superat, inde fit, ut aureus numerus sequentis anni, quemlibet aureum numerum in Calendario, antecedit undecim diebus, hanc ob causam, quia luna prima undecim diebus prius accidat, quàm anno praecedenti, atque ita ferè semper minor numerus aureus, sub maiori scribitur, maior autem sub minori non statim, nec ordine certo servato. De ratione autem, quomodo aureus numerus antecedens, formandus sit à sequenti, addito numero <sup>Aureus numerus antecedens, quomodo formandus sit à sequenti.</sup> <sup>indicat</sup> <sup>vel undecim, paucis dicam. Sciunt à sequenti.</sup> Astronomia periti, annos solares undecim, quater mille & septendecim dies habere, horas octodecim, quo temporis spatio, lunationes centum & triginta sex absolvuntur, excepto die.



die unico, qui superest cum hor. 14. min. 8.  
sec. 47. tert. 4. Lunationes n. centum &  
triginta sex, diebus quater mille & sedecim,  
horis tribus, min. 51. sec. 12. tert. 56. absol-  
vuntur. Inde postea colligitur, novilunia  
transactis undecim annis, in iisdem diebus nō  
accidere, quibus ante annos undecim facta  
sunt, sed per unum diem integrum, & horas  
ferè duodecim anticipare. Quapropter ante  
quemlibet aureum numerum, in Calendario  
ponitur aureus numerus, undecim unitatibus  
illo maior, quo significatur, novilunia in iis-  
dem diebus post undecim annos, non accide-  
re, sed illis diebus incipere prius, quibus au-  
reus numerus antecedens à sequenti, per ad-  
ditionē undecim productus annotatur. Cumq;  
ex iam dictis clarum sit, quemlibet aureum  
numerum sequentem, maiorem esse octo uni-  
tibus antecedenti, ac antecedentem quemli-  
bet, maiorem esse sequenti undecim unitati-  
bus, inde colligitur, sequentem, ab anteceden-  
ti for-

ti formari posse, vel per additionem numeri  
octonarii, aut etiam subtrahendo undecim,  
precedentem verò à sequenti, additis videli-  
cet undecim, vel detracto numero octonario.  
Cur autem Veteres Cyclum decemnovena-  
lem, quem Graci ἐνάδεκαήμερον aut etiam  
ab autore, Metonicum nominare soliti sunt,  
( utpote quem à Gracis vel Chaldeis, Roma-  
ni acceperunt ) in duas partes sive numeros  
distinxerint, videlicet in numerum octonariū  
& ἰνδέναν. Ratio hac est, qui videlicet totus  
eius ordo in Calendario positus, in addendo vel  
subtrahendo consistit, numeri videlicet octo-  
nari & ἰνδέναν hoc modo, quod numerus o-  
ctonarius cum undecim diebus, totum Cyclum  
decemnovalem ( tot n. diebus lunaris annus,  
solari minor est, ) ἰνδέναν verò vel numerus  
undecim, cum Cyclo decemnovali, lunatio-  
nem triginta dierum perfectam constituit.  
Cum autem aureus numerus, neq; ante hanc  
correctionem Gregorianam, neq; post, novi-  
lunia,

Cyclus de-  
cemnovalis  
cur in duas  
partes di-  
stinctus sit à  
veteribus.



lunia perpetuò monstrare possit, ante correctionem, quia novilunia, ad easdem sedes, annis novendecim solaribus elapsis, non revertuntur, ut superius dictum est, sed paulò ante annos novendecim completos, ita ut quolibet spatio annorum novendecim, una hora, min. 27. sec. 31. tert. 55. sedes suas anticipet. Temporis verò spatio annorum septuaginta sex, hoc est Cyclorum decenovenalium quatuor, horis quinque min. 50. sec. 7. tert. 40. quatuor novilunia cum anticipent, collectis postea annis trecentis & duodecim cum dimidio, per integrum ferè diem, ita ut à tempore Synodi Nicenae, ad nostram etatem per quadriduum & amplius progressa esse, ab artificibus animadvertendum sit. Hinc factum est, ut neque positio vel dispositio aurei numeri veterum, propter anticipationem, ut dictum est, servari potuerit, neque etiam si adhuc aurei numeri correctio recentior observari debuisset, perpetuò novilunia, sed aliquandiu tantum, monstrari

strari potuissent. Inde artifices operis huius Gregoriani, omninò eos ex Calendario, propter duplicem illum defectum, amovendos esse statuerunt, ac in locum eorum, Epactas triginta constituerunt, perpetuò novilunia monstrantes, ut paulò post iam dicam. Ponamus exempli causa, facti speciem, de aureo numero, quemadmodum Ecclesia à tempore Synodi Nicenae usque ad tempus correctionis, & dicemus fuisse numerum ternarium, ad primum diem anni, inde postea omnes alii, per additionem continuam numeri octonarii, formantur ita, ut semper novendecim abiiciantur, quando videlicet summa maior fuerit, quam numerus novendecim, numero minore proximo, sub maiori posito, maiori verò sub minore non proximo, ut lunationes fiant alternis, iam videlicet triginta, iam verò viginti novem dierum. Postea tertio Februarii, numerus novendecim, scribendus est sub minori numero, videlicet undecim,

Triginta.  
Epact. in lo.  
cum aurei  
numeri, pro-  
pter duplicem  
defectum in  
Calendarii  
novi composi-  
tione as-  
sumpta.

K

cim,



cim. Mensibus verò sequentibus, ut Aprilis die sexto, Junii die quarto, & Augusti secundo, numerus decimus sextus sub minore octonario proximè ponendus est. Postea ad diè tertium Octobris, & primum Decembris, numerus tertius decimus, proxime sub numero quinario. Ultimo loco, aureis numeris omnibus ita dispositis, à Julio & mensib. quinq; sequentibus, usq; ad finem anni, aureus numerus novendecim, ad superiorem diem ita promoveatur, ut sub minore numero undecimus numerus, ita collocetur proximè, deindè in iisdè mensibus numerus minor, octonarius videlicet, scribendus est non proximè sub numero decimo nono sed uno die præterito. Hac autem ratio ponendi aureum numerum, quare sit improbata hodiè, superius dixi, qui etiam si iuxta novum modum reduceretur, diu tamen novilunia monstrare non posset. Exempli causa: Ponamus iuxta modum novum, post Calendarii correctionem, aureum numerum, vide.

videlicet novenarium esse, ad diem secundum Ianuarii, deindè omnes alii per additionem numeri octonarii continuam, ut antea, locis hisce exceptis, propter lunationes videlicet alternas, triginta videlicet & viginti novem. Ad reliquos verò dies mensum, videlicet ad diem quintum Februarii, quintum Aprilis, tertium Junii, primum Augusti, vicesimum nonum Septembris, & vicesimum septimum Novembris, aureus numerus quatuordecim scribendus est proximè, post aureum numerum, videlicet numerum senarium. Postea ultimo die Decembris, aureus numerus videlicet novendecim, ponendus est proximè sub minore numero, videlicet undecim. Aurei hi numeri hoc modo correcti, & in propria loca restituti, licet aliquandiu novilunia indicare possint, perpetuò tamè pro novilunia certa, haberi non possunt, duplicem ob causam: Primò, quia quoties dies intercalaris ex aliquo anno centesimo aufertur, hoc est an-

Aurei numeri correcti, novilunia propter duplicem causam monstrari non possunt semper. 1.



nus aliquis centesimo cōmunis fieret, ne aequi-  
noctiū à vicesimo primo die Martii recedat,  
tūc omnia novilunia tardius integro die, eve-  
niunt, quā ab aureis numeris indicatur. Quā  
propter quoties ex anno centesimo, qui sua na-  
tura est bissextilis, annus communis fit, toties  
omnes aurei, per unum integrum diem promo-  
vendi sunt, ut certō novilunia monstrent.  
III. Deinde quia novilunia in annis trecentis &  
duodecim, ac mensibus sex, per unum diem in  
Calendario anticipant, hoc posito, fit, ut aurei  
numeri quoq;, post supra dictos annos &  
menses, per spatium unius diei, versus initia  
mensum ponendi sint eo fine, ut novilunia in-  
dicent, ita tamen, ut dies intercalaris ne qua-  
quam, tunc omittatur. Atq; ita hoc modo tri-  
ginta Calendaria conscribenda sunt, ut positio  
aurei numeri, triginta quoq; semper varia-  
tes habeat, ipso videlicet iam sursum, iam de-  
orsum, per triginta dies promotō, quot videnti-  
cet in una lunatione, triginta dierum continē-  
tur. Hac

tur. Hac & similia inconvenientia cum in-  
de sequantur, ab artificibus aurei numeri, in  
hac Calendarii Gregoriani correctione omif-  
si sunt, at in eorum locum triginta Epacta sunt  
posita, ut novilunia in Calendario posita sem-  
per, nulla facta mutatione monstrarent, sive  
ea versus principium mensum, sive finem  
progredierentur. Sunt autem Epacta, dies,  
quibus annus solaris communis trecentorum  
& sexaginta quinque dierum, annum lunarem  
communem, continentem trecentos & quin-  
quaginta quatuor dies complectitur. Haec per  
numerum undenarium, ut Isidorus ait, usq;  
ad tricenarium vel triginta, ita in se revolvun-  
tur, ut lunaris emensio rationi solaris equipa-  
retur, quas Aegyptios & alias gentes, propter  
diversas intercalandi rationes animadver-  
tisse legitur. Dicuntur autem Epacta, à voce  
græca, quæ idem sonat, quod ascititii aut in-  
teriecti dies, hanc ob causam, quod in fine ul-  
timi mensis lunaris, ad explendum numerum  
dierum anni solaris adiciuntur, ad inchoan-

Epacta,  
quid.

Epacta un-  
de dicta.



Epacta tri-  
ginta, quo-  
modo colli-  
genda, &  
modo.

dum lunationem primam anni sequentis. Quomodo autem triginta illa Epacta colligenda sint, & qua ratione, paucis dicam, videlicet ex undecim diebus dictis. Primo n. anno, quando dies undecim supererunt, sequenti vel secundo anno, viginti duo relinquuntur, additis postea rursus tertio anno undecim, tunc triginta tres dies prodibunt. Sed triginta iam sunt abiiciendi dies, quae unam lunationem constituunt, & remanere tandem tres Epactas certum est, atque ita deinceps ordine progrediendo, addendo undecim & triginta abiiciendo, quoties opus fuerit. Quod si summa ultra numerum tricenarium excreverit, omnes triginta Epacta ita sunt componenda, ut prima sit undecim & ultima triginta, post quam deinde iterum per additionem undecim, Epacta videlicet undecim provenit. Quae de re dilucidioris explicationis causa, quidam ex Modernis, tabulam quandam peculiarem, ante oculos proponere junioribus, ut illa melius as-

us assequi possent, conati sunt. Hoc tamen principaliter, in materia Epactarum animadvertendum est, quod videlicet Epacta antecedenti, addenda sint interdum tredecim, non undecim, ut Epacta sequens proveniat, hac tamen cautela adhibita, quod certis videlicet anni spatii, illa tantum accidant, qua de re paulo post, quando videlicet, & quomodo quolibet anno, cuiusvis anni Epacta invenienda sit, agam. Deinde notandum & hoc est, quamlibet Epactam, minorem esse debere numero tricenario vel triginta, propter tempus integrum lunationis. Cum n. ut superius dictum est, Epacta sint numeri dierum, qui mense Decembri, post ultimam anni lunationem supersunt, inde sequitur, quod si lunatio ultima anni, postremo die Decembris finiatur, ita, ut nulla dies supersit, tunc Epacta anni sequentis erit nulla, si penultimo die finiatur, Epacta erit unitas, propter diem, qui superest. Si antepenultimo, hoc est vicesimo nono die fi-



die finiatur, Epacta erit numerus binarius, Atq; ita deinceps de reliquis iudicandum erit, donec ad lunationem veniamus, qua finē habet calendis Decembris ita, ut triginta dies supersint, tunc n. lunatio illa non est ultima, sed penultima, propterea quod dies illi triginta superflui, ultimam constituunt, atq; ita Epacta erit nulla vel triginta. Ac ex hac enumeratione Epactarum, clarè liquet atq; patet, cur videlicet triginta Epacta sint in univ-  
sum, ab unitate paulatim ad numerum tricenarium progrediendo vel nullo, quia videlicet tot superesse possunt post lunationem, mense Decembri finitam. Ac etiamsi lunationis alicuius finis, primus dies Decembris sit, vel etiam ultimus, & Epacta anni sequentis sit triginta vel 0. tamen Epacta illa signanda triginta, vel 0. aliquo videlicet signo, ut per illud novilunia anni sequentis investigentur, ac tunc in Decembri duas lunationes esse finitas intelligitur, unā ultimo die, ac propterea  
nullum

nullam diem etiam superfuisse, alteram verò primo die, atq; ita post illam, triginta dies esse relictos. Quam ad rem, peculiarem quamdam tabulam quosdam ex Modernis, composuisse legitur. De ordine autem Epactarum, quo videlicet singula singulis diebus sint annotande, alii alias rationes in medium proferentes, duobus modis eas inscribi posse contemderunt, ordine videlicet retrogrado, à numero tricenario vel triginta incipiendo, & ad unitatem usq; retrogradiendo, vel etiam ordine naturali servato, ab unitate incipiendo, & ad numerum vel tricenarium progrediendo, adscribi singulis diebus mensum eas, rectè voluerunt. Qui primum modum elegerunt annotandi Epactas in Calendario, has habuerunt rationes, quod videlicet commodius esset, ut Epacta à numero dierum, in Calendario posteriorum, ordine prepostero distinguerentur. D. inde etiam, quod magis ad rem facere videretur, ordinem preposterum  
L anno.

Rationes  
vari. inscri-  
bendi Epac-  
tas, sed duae  
approbatæ.

Ordo re-  
trogradus  
inscribendi  
Epactas.

Ordo na-  
turalis in-  
scribendi  
Epactas.

Rationes il-  
lorum, qui  
prepostero  
ordine Epac-  
tas inscri-  
bendas esse  
volunt.

I.  
II.



annotandi Epactas observare, quia ad novi-  
lunia inquirenda certius, hic modus prodes-  
set. Qua de re cum plurimi, de hac ipsa Epa-  
ctarum positione, modos diversos tradide-  
rint, ego dilucidioris explanationis causa, &  
informandi studiosos adolescentes, brevi &  
succincta ratione ita id proponam, ut in se-  
quentibus postea, cum videlicet de inventio-  
ne Epacta quotibet anno dicturi sumus, ea  
melius intelligi à singulis possint. Epactas  
igitur Calendario Gregoriano inscripturus  
nosse debet, primo diei Januarii nullam, ut  
Arithmetici nominant, aut aliquod aliud si-  
gnum esse apponendum. Deinde viginti no-  
vem Epactas, diei secundo Januarii ascri-  
bendam esse, tertio verò diei, vicesimam octa-  
vam, eousq; progrediendo, donec ad unitatē  
ordine videlicet retrogrado perventum fue-  
rit, tunc tricesimo diei Januarii unitas, Epa-  
cta videlicet ascribenda est, atq; ita deinceps  
eodē ordine, omnes triginta Epacta, usq; ad  
finem

Epacta quo-  
modo inferi-  
bendo Ca-  
lendario.

finem Calendarii, in reliquis mensibus unde-  
cim repetuntur, hac tamen cautela adhibita,  
quod videlicet, quod notandum est, Epacta  
decem, videlicet viginti novem, viginti octo,  
viginti septem, viginti sex, viginti quinque,  
viginti quatuor, viginti tria, viginti duo,  
viginti unum, & viginti, praposita nota pe-  
culiari vel stellula aliqua in principio, vel al-  
io signo, in postremis undecim diebus Decem-  
bris, ultra numerum duodecimum mensum,  
adhuc semel repetuntur, excepta Epacta no-  
vendecim, qua ultimo diei, ad Epactam vi-  
ginti dictam apponitur. Ordine Epactarum  
in annotando ita servato, quaestio hac hoc loco  
à quibusdam moveri solet, quis modus &  
qua regula observanda sit, ut novilunia &  
plenilunia, itemq; aetas luna beneficio triginta  
Epactarum, recte cognosci, iustiq; modo ad  
quamcunq; anni magnitudinem accommoda-  
ri possit, si modo debita aequatio suis temporibus  
adhibeatur? Sed respondeo, quod notan-

Beneficio  
Epactarum  
triginta, a-  
tas luna  
quomodo ce-  
gnoscenda,  
& ad quam-  
cunq; anni  
magnitudi-  
nem, quomo-  
do accom-  
modanda.

Respon-  
sio



dum est, quod in positione triginta Epactarū,  
secundo facta, quinto videlicet diei Februa-  
rii, quinto Aprilis, tertio Iunii, primo Au-  
gusti, vicesimo nono Septembris, & vicesimo  
septimo Novembris, Epacta dua, viginti  
quinq; & viginti quatuor, in quos dies omnes  
supra dictos, Epacta viginti quinq; incidit,  
simul sunt annotanda. His ita dispositis, sequi-  
tur, quod undecim dies in Decembri tantum  
super sint, post inscriptionem Epactarum duo-  
decies factam, quibus postea haec decem Epac-  
ta, praemissa tamen prius stellula, vel alio si-  
gno, videlicet viginti novem, viginti octo,  
viginti septem, viginti sex, viginti quinq;  
viginti quatuor, viginti tria, viginti duo, vi-  
ginti unum, viginti ex latere preponuntur,  
qua prioribus diebus undecim Ianuarii, sunt  
apposita, atq; ita omnes triginta Epacta, duo-  
decies inscripta, dies tantū trecentos & quin-  
quaginta quatuor possident, quot annum lun-  
narem continere superius diximus. Atq; ita  
Epacta:

Epacta rationem Cycli, hoc modo servare non  
possunt in Calendario, ut Epacta primi diei  
Ianuarii sit minor ea, qua ultimo diei Decē-  
bris ascripta est, qui Ianuarii primum diem  
antecedit, sed ordo retrogradus earum, in fine  
anni cessat, ac rursus in principio anni, à si-  
gno aliquo quocunq; posito, ut antea factū est,  
incipit. Si n. dua Epacta, in sex locis superis  
dictis, eidem diei in Calendario hoc modo  
non apponerentur, sed singula ordine retro-  
grado, hoc absurdum inde scqueretur, quod  
omnes duodecim lunationes cuiusq; Epacta,  
triginta dies haberent, atq; ita omnes Epacta  
duodecies repetita, dies trecentos & sexagin-  
ta, iuxta calculum astronomicum, proportionem  
habita constituerent, ac quantitas anni luna-  
ris, circiter sex dies excreceret. Vi igitur lun-  
nationes, iuxta proportionem per vices rectius  
distinguantur, videlicet, quod aliquando vi-  
ginti novem dierum, aliquando triginta sint,  
necessarium erit, duas Epactas, in sex locis si-



anul poni, inde hoc sequetur, de quo superius  
dictum est, quod lunationes iam triginta iam  
viginti nouem dierum alternatim prodibunt.  
Hac ab auditoribus ut melius intelligantur,  
exemplo uno atq; altero declarabo. Cum Epa-  
cta viginti quatuor, per unum diem in Fe-  
bruario ultra suam sedem naturalem, cum aliis  
eam sequentibus, progressa est, ad initium mens-  
is propter Epactas viginti quinque & vigin-  
ti quatuor ascriptas quinto diei, inde fit, ut  
lunationes à triginta Epactis incipientes, E-  
pactam viginti quatuor & viginti quinque,  
eidem diei annotatam antecedentes, quemad-  
modum etiã ab Epactis viginti quatuor, vi-  
ginti tria, viginti duo, & à reliquis Epactis  
mensis Ianuarii, quando numerare incipimus,  
vsq; ad Epactam viginti quinque Februarii,  
dies tantum viginti novem continentur. Idem  
quoq; iudicandum erit, de aliis quinque lunati-  
onibus triginta Epactarum, qua in quinque lo-  
cis Calendarii, precedunt Epactam viginti  
quatuor,

quatuor, cum Epacta viginti quinque, eidem  
diei additam. Notandum & hoc est in do-  
ctrina Epactarum, cum in uno & eodem Cy-  
clo Decemnovenali, Epacta viginti quinque  
& viginti quatuor, magnum usum habeant,  
quod videlicet Epacta viginti quinque, ad E-  
pactam viginti sex, in sex superius dictis lo-  
cis, scribenda sit, vel aliis literis in loco mar-  
ginali, in quibus Epacta viginti quinque &  
viginti quatuor scripta sunt, in reliquis vero  
locis, ad Epactam viginti quinque, Epacta rur-  
sus scribenda est viginti quinque. Hoc, nisi cõ-  
positione Epactarum factum fuerit, absurdum  
inde sequetur hoc, quod in uno & eodem Cy-  
clo decemnovenali, ubi Epacta viginti quinque  
& viginti quatuor, in usu est, in unum &  
eandem diem duas lunationes, in anno sexies  
incidere, cum ut superius dictum est, novi-  
lunia, non nisi post novendecim annos, ad  
eosdem dies revertantur. Movetur & ab  
aliquibus in doctrina Epactarum, & hac  
quaestio,



Quaestio.  
Dux Epacta  
viginti  
quinque &  
viginti qua-  
tuor, cur ad  
aequationem  
mensis luna-  
ris sunt as-  
sumpta.

Quaestio, cur duae haec Epactae superius dictae, videlicet viginti quinque, & viginti quatuor, principaliter praeter alias, assumptae sunt ab artificibus in aequatione mensium lunarium, vel in unum & eundem diem, in Calendario ponantur ex opposito quinti Februarii, quinti Aprilis, tertii Junii, primi Augusti, vicesimi noni Septembris, & vicesimi septimi Novembris, ut ita lunationes iam viginti novem dierum, iam triginta alternatim fierent, cum hoc itidem, & in aliis Epactis quibuscumque duabus e regione fieri potuisset, videlicet in principio Februarii & fine Ianuarii, quemadmodum & Iulium Caesarem olim fecisse in conscribendo Calendario, & positione aurei numeri, videlicet unitatis & novenarii, in fine Ianuarii & Martii legitur. Sed responsio facilis est fundamentis huius doctrinae recte intelligentibus, videlicet duplicem ob causam: Primum, quia tempore Synodi Nicaenae, in iisdem ferè locis aureus numerus fuit positus,

positus, cuius decretum artifices imprimis observare voluerunt, ut aequatio luna inde institueretur, quemadmodum hodie ab artificibus per Epactas viginti quinque, & viginti quatuor, in Calendario Gregoriano factum esse deprehendimus. Lunationes namque triginta paschales, lunationibus iuxta Cyclum triginta Epactarum, hoc modo, ut plurimum, secundum positionem aurei numeri, in iisdem ferè locis, ut superius dictum est, sunt aequales. Deinde sicut omnes lunationes paschales, dies tantum habent viginti novem, in illo Cyclo aurei numeri, quorum sunt, ut dictum est, novendecim: quarum prima in octavum Martii, altera in quintum Aprilis incidit, & principium quoque inde sumit. Sic etiam in hoc Epactarum Cyclo, nuper excogitato ab artificibus, omnes triginta paschales lunationes, in eosdem superius dictos dies, videlicet octavum Martii, & quintum Aprilis incidunt, & iisdem terminis finiuntur, ac singula vi.

II.

M

la vi.



le viginti novem dies complectuntur, exceptis  
duabus lunationibus Epactarum, videlicet  
viginti quinque, & viginti quatuor, triginta  
dies complectentes. Cuius rei ratio hac est,  
quod in Synodo Nicena, noviluniis pascha-  
libus, dies viginti novem sunt deputati, ab o-  
ctavo Martii, ad quintum Aprilis numeran-  
do, in quibus postea novendecim aurei nume-  
ri sunt assignati ea conditione, ut singuli luna-  
tionem viginti novem dierum constituerent.  
Sed in Epactis triginta, longè aliter sese res  
habet, propterea quod in dictis viginti novem  
diebus iisdem, non omnes Epacta, eodem mo-  
do ita disponi possint, in eodem die, nisi dua  
simul eodem die, ut quinto Aprilis factum est,  
dua inquam Epacta ponerentur. Inde fa-  
ctum est, ut lunatio Epacta viginti quatuor,  
& lunatio Epacta viginti quinque, supra E-  
pactam viginti quatuor positam, dies triginta  
efficiant, quod nequaquam accideret, si aqua-  
li luna, post quintum diem Aprilis esset ad-  
hibita.

hibita. Ordine Epactarum in Calendario  
novo positarum, ita observato, quemadmo-  
dum ante correctionem Calendarii, per aure-  
um numerum, novilunia cuiusvis anni pro-  
positi in Ecclesia sunt monstrata: sic hodiè per  
Epactas, cuiusvis anni propositi, certius illa  
beneficio Epactarum deprehendi possunt, qui-  
bus Epacta anni annotata est. Ponamus  
exempli causa, alicuius lunationis finem, an-  
no dato quocunque, incidere in vicesimum  
sextum Decembris, currente Epacta viginti  
quatuor, iam dies quinque, à fine Decembris  
superfunt, qui Epactam quintam anni sequen-  
tis significabant, qua secundum positionem su-  
periores, propè diem vicesimum sextum Ja-  
nuarii invenitur, in quo novilunium illud, in  
presenti anno deprehenditur; hanc ob cau-  
sam, quod viginti quinque dies Ianuarii  
antecedentes Epactam quintam triginta die-  
rum lunationem faciant, additis illis quinque  
diebus, qui in Decembri reliqui fuerunt, tot



enim dies plerunq; omnis lunatio, in mense  
Ianuario finita continet. A vicesimo n. se-  
ptimo die, cui Epacta viginti quatuor asscri-  
pta est, novilunium initium sumit, propterea  
etiam reliqua iam dicta, ita quoq; se habe-  
bunt, Epactis & diebus diligenter observa-  
tis. Ex quibus iam dictis apparet, sapienter,  
ut superius dixi quoq;, triginta Epactas loco  
aureorum numerorum, in Calendario esse po-  
sitas, ordineq; retrogrado, iuxta dies mensis  
cuiuslibet scriptas, hanc ob causam, quod  
quilibet inde facillime invenire poterit omnes  
dies mensis Decembris, qui post finem luna-  
tionis quolibet anno, in eodem mense termi-  
nata numerantur, utpote quod numerus ille  
dierum, non solum Epactam sequentis anni  
indicat, hoc est dies, quibus annus solaris  
lunarem superat. antecedentem, sed etiam  
quod lunationes totius anni sequentis, iisdem  
diebus incipiant, penes quos Epacta tot uni-  
tatum est reposita, quot dies in Decembri su-  
perfue-

perfuerunt, post finem lunationis, illo ipso  
mense finita. Atq; ita dies illi qui superfue-  
runt, Epactam noviluniorum sequentis anni,  
qui quasi index sunt, monstrabunt. Et ita ex  
illis ipsis commoditatibus Epactarum iam di-  
ctis, & monstratis satis constat, Epactas tri-  
ginta, aureis numeris esse prastantiores &  
certiores, utpote quod novilunia semper, &  
perpetuo nobis monstrant, nulla penitus earu-  
facta mutatione in Calendario. Etsi autem  
aliqui sunt, qui hoc in loco nobis obicere so-  
lent, hac, qua de Epactis iam dicta sunt, sub-  
sistere non posse, quod ad noviluniorum per-  
petuitatem, ad ipsorum tamen obiectionem  
facilis est responsio. Etsi n. verum sit, quod  
propter omissionem diei intercalaris, spatio  
centum annorum, novilunia versus fines  
mensum, quod alii nominant, deorsum  
volvuntur, vel etiam ad principium mensis,  
quod sursum alibi dicitur. spatio trecentorum  
& duodecim annorum, cum dimidio elapso,  
M 3, qua-

Epactas  
aureis nu-  
meris esse  
prastantiores.

Obiectio.  
Epactas no-  
viluniorum  
perpetuita-  
tem non ple-  
ne significa-



qua in re longè, ut dictum est, ab aureo numero differunt, tamen quoties novilunia, ad fines mensum per unum diem descendunt, tunc Epacta inferior significabit, qua proximior & minor sit, quam superior. Exempli causa, si anno proposito qualicunq; novilunia indicentur per Epactam viginti, & dies intercalaris illo anno omittatur, eadem per Epactam novendecim significabuntur, qua infra Epactam viginti, posita est in Calendario. Eodem modo de reliquis quoq; iudicandum erit, quando videlicet novilunia sunt inquirenda in aliquo anno, per Epactam superius dictam, videlicet viginti, ubi deprehendetur, ea progressa esse sursum per unum diem, propter annos trecentos duodecim, cum dimidio præteritos, tunc novilunia inquirenda sunt per Epactam viginti unum dictam, qua super Epactam viginti dictam uno die, in Calendario annotata est. Atq; hac de doctrina Epactarum in Calendario Gregoriano pos

no positarum in genere, quod ad Noviluniorum inquisitionem dicta sufficiant, magnitudine anni eadem manente, quam ad rem, ut melius illa intelligi possint, peculiaris quoq; quædam tabula, à quibusdam conscripta est, quo melius antea dicta intelligi possint. Diversa autem ab artificibus anni magnitudo, si post aliquot secula proponeretur, tabula equationis Epactarum alia, qua ratione sit cõponenda, alibi dicetur. Deinde, si forte fortuna, luna non in annis trecentis duodecim cum dimidio, sed in paucioribus, pluribusve, per unum diem anticipare animadvertatur, quomodo tabula equationis sit instauranda, tertio Epacta in Calendario loca cur non mutant, etiam si tabula equationis Epactarum, propter aliam anni magnitudinem inventam, vel etiam propter periodum lunationum innovetur. Ultimo deniq; loco, cum omnis Cyclus, loca Calendarii omnia non replens, cur in Calendario esse non possit immutabilis, item de anno emb



embolismali, & quot anni embolismales, in  
quolibet Cyclo decemnovenali esse possint, &  
unde sint: de hisce capitibus omnibus, licet a-  
liquid hoc in loco, & quidem notatu dignum  
in medium adferre possem, sed quia in infini-  
tum nostra oratio excresceret, ratione etiam  
temporis habita, in aliud tempus hoc differre  
cogor. Ac omisis istis, ut dixi, me ad ulti-  
mum caput nunc correctionis Calendarii Gres-  
goriani confero, prout quoq; scopus orationis  
proposita, in principio memonet, videlicet de  
Cycli solaris restitutione. Est autem Cyclus  
solaris, à grecis <sup>αἰνοῦσμεν</sup> dictus, tertium  
caput correctionis Calendarii Gregoriani,  
ut obiter de hoc iuniores moneam, spatium  
temporis, viginti octoannes continens, in quo  
litera Dominicalis mutatio, ad sua principia  
revertitur, hanc ob causam à veteribus ita  
dictus, non quod motum solis nobis ostendat,  
sed quod literam Dominicalem nobis mon-  
strat, cuius beneficio dominicum diem scire  
possumus,

III.  
Tertium ca-  
put Calenda-  
rii Grego-  
riani.

Cyclus so-  
laris quid.

possumus, quo temporis spatio, iuxta Astro-  
logorum opinionem, sol dominatur. Addunt  
alii & aliam causam, propter quam à vete-  
ribus hoc nomen ipsi est inditum, videlicet  
quod omnem diversitatem, qua ex anno bis-  
sextili & litera Dominicali oritur, optima  
ratione monstret. Sicut Cyclus lunaris grecis  
<sup>ἐνδεκάμηνης</sup> dictus, spatium temporis, annos  
videlicet novendecim solares complectitur,  
intra quod, omnes coniunctiones & oppositi-  
ones, ad priora loca Zodiaci, & temporum  
principia redire, veteres putarunt. Investi-  
gatur autem Cyclus solaris variis modis, si-  
cut quoq; litera Dominicalis, prout apud re-  
centiores Astronomia artifices animadverti-  
re licet. Communior, aliis omisis & vetus-  
tior hac est, quod videlicet annis CHRISTi  
propositis numerus novenarius additur, pro-  
pterea quod CHRISTus natus esse scribitur,  
decimo anno Cycli. Deinde, productum di-  
videndum est per numerum viginti octo vel

Cyclus so-  
laris investi-  
gatio.

N

inte-



integrum Cyclum, qui ex multiplicatione septem, per numerum quaternarium provenit, & quae operatio partim, propter septem literas Dominicales, ac dies septem hebdomadae, suscipitur, partim etiam, quod quarta quovis anno, unus dies intercalatur, ac propterea etiam ordo ille septem literarum dominicalium, quarto quovis anno interrumpitur, qua perfecta, quotiens, à nativitate filii Dei indicat, quoties Cyclus sit reiteratus, ac si quid tunc superest, id quod quarimus monstrat. Si autem post divisionem nihil supererit, totius Cycli complementum sumendum est, & pro Cyclo eo anno habendum, qui postea ad inquisitionem literae Dominicalis servit, hoc modo: tabula à vetustioribus Astronomis ad hanc rem constructa (sicut in computo Ecclesiastico, & opere Schönneri, videre licet) & observata, ac Cyclo solari prius in superiori parte tabula invento, infra, litera dominicalis simplex, per Cyclum  
invenit

Litera Dominicalis inquisitione.

inventum illo toto anno significatur. Si verò duplex litera inventa fuerit, per numerum Cycli, tunc annus bissextilis significatur, quarum prior vel superior, à principio anni, diem Dominicum denotabit eo usque, donec festum Matthiae praeterierit, inferior verò, sequentium septimanarum partibus, diei Dominico videlicet, usque ad finem anni praesentis servit. Etsi autem de hoc Cyclo antiquo literarum Dominicalium, qui perpetuus, in hac nova Calendarii Gregoriani compositione factus est, (ante correctionem autem singulis annis mutatus,) inde quoque Calendarium perpetuum à quibusdam dictum esse legitur, prout Bartolemaeus etiam Scultetus, in quodam prognostico illud nominat, non quidem propter restitutionem aequinoctii, aut anni solaris aequationem in eo praescriptam, sed propter stabilitatem solam Cycli Epactarum, & quia Cyclus Epactarum omnia loca in Calendario replet, & ad usitatum aureum numerum  
N 2 merum



merum directus est, qui ad quamcunq; anni solaris, ac lunaris magnitudinem accommodari potest, si modo tabula equationis recte componatur. Etsi autem varia fuerunt opinioniones, alii enim perpetuum Cyclum solaremanere, ut dictum est, voluerunt, si spatio quadringentorum annorum quovis, tres dies intercalares omittuntur. Alii, Cycli huius equationem reprehendunt, quia videlicet ex ea litera Dominicalis vera deprehendi non possit, in annis correctionem antecedentibus, propter equationem aequinoctii, quando videlicet ad annos retroactos accommodetur, propterea etiam talem equationem Cycli solaris, instituendam esse volunt, qua similis sit ei, qua in Calendario post correctionem adhibita est. Hac ratio nova equationis si observaretur, miris modis litera Dominicalis quotannis turbaretur, ac error nimis magnus inde oriretur, si aequatio calculi tam in prateritos, quam futuros annos extendenda esset. Ac  
quod

quod prior opinio verior, posterior vero, quod aequatio Cycli solaris, in annos prateritos omnino extendi non possit, ratio haec est, quod aequatio anni solaris, non omnino extendi potest in annos, Synodo Nicena vicinos, propter inaequalem anni solaris magnitudinem, praesertim cum in ea equatione anni solaris, spatio quolibet quadringentorum annorum, tres dies intercalares omittuntur. Etsi n. artificum calculus, recte institutus, ad tempora quoq; praterita extendi possit, non tamen hoc sequitur, equationem his adhibitam, quadringentesimo quolibet anno, in omnes annos prateritos precise quadrare, neq; etiam in futuros posse. Aequatio n. in Calendario novo adhibita, cum sit uniformis & aequalis, progressus autem & regressus aequinoctii, cum sit inaequalis, propter inaequalem, ut dixi, anni solaris magnitudinem, inde neq; in prateritos annos retrahi, neq; in futuros extendi poterit, inde quoq; cum motibus caelestibus,  
N 3 per.



per omnia convenire non poterit. Contentos  
et nos hoc in loco esse oportet, ut aequatio aequi-  
noctiū non longè à vero exhibeat, sive postea  
annis prateritis, sive futuris accommodetur.  
Ea tamen cautela adhibita, ut interdū  
cum prateritis, vel etiam futuris annis con-  
veniat, id quod hoc in loco, cum de restituti-  
one Cycli solaris disputatur, animadvertere  
debet, tunc facile inde deprehenditur. Ul-  
timam opinionem dictam, subsistere non posse,  
ubi quidam volunt, aequationem hanc di-  
ctam, Cycli videlicet solaris, ad tempus Sy-  
nodi Nicenae extendendam esse, ut litera do-  
minicalis eius beneficio inveniat, quae tunc  
quolibet anno in usu fuit. Nusquam n. legi-  
tur, à tempore natiuitatis Filii DEI, usq;  
ad annum correctionis, ordinem literarum  
Dominicalium esse perturbatum vel inver-  
sum. Nostro autem tempore, cum aequinoctiū  
aequatio adhibetur, Cycli solaris quoq; aqua-  
tio locum habebit, hanc ob causam, quod ordo  
lite-

literarum dominicalium interrumpitur, pro-  
pter omissionem diei intercalaris quocunq;  
tempore, etiam si ut dictum est, aequatio aequi-  
noctiorum, motibus caelestibus praecise non ita  
respondeat. Manet igitur firma hac conclu-  
sio, vel argumentum, ommissis aliorum obiecti-  
onibus hoc in loco, aequationem Cycli solaris,  
nobis rectè exhibere literam Dominicalem  
etiam futurorum annorum, quorum tempo-  
ribus dies intercalares omittuntur, ac pro-  
pterea etiam literarum dominicalium ordi-  
nem, interrumpendum esse, licet aequatio aequi-  
noctiū, cum motibus caelestibus, ut dictum  
est, ita praecise non conveniat. Possem ha-  
ctenus dicta & proposita à me, de Cycli solaris  
restitutione, exemplis illustrare, vel etiam  
in tabula auditoribus ad oculos proponere,  
quò melius ea assequi possent, nisi oratio in in-  
finitum quasi excrescere videretur, & me-  
mor quoq; essem scopi, in principio orationis à  
me propositi. Itaq; ut finem tandem etiam or-  
nationi



rationi proposita imponam, omisis aliis, me  
nunc ad obiectiones quatuor prapcipuas confe-  
ro, (quamvis aliqui plures, & etiam ultra  
viginti, ut antea dixi, adferre in medium so-  
liti sunt,) qua licet obstare maximè videan-  
tur superius à me dictis, tamen earū conditio  
talis est, ut in hac Calendarii novi construc-  
tione, beneficio Cyclorum instituta, vitari  
difficiliter possint, quamvis errores ab aliqui-  
bus etiam nominentur, hac in doctrina Cyclo-  
rum necessarii, qui si non semper, interdum  
tamen admittendos esse aliqui volunt. Inter  
quos prima obiectio vel argumentum tale est:  
Equinoctia iuxta calculum veterum, undea-  
cimo Martii per multos annos plerunq, acci-  
derunt, iuxta calculum autem recentiore,  
ad vicesimum primum Martii reducta sunt,  
eo tamen modo & ratione, quod firma & fi-  
xa non manent, sed iam ad decimum nonum  
diem, iam ad vicesimum quartum Martii,  
ante & post expatiantur, interdum etiam ad  
vice-

Obiectiones  
quatuor con-  
tra correcti-  
onem capitū  
Calendarii  
Gregoriani.  
1.

vicesimum primum Martii redeunt, ergò Cal-  
endarium novum propter summam illam in-  
certitudinem, veteri multo incertius est.  
Deinde cum superius dictum sit, novilunia  
per quadriuum & amplius progressa esse ad  
mitia mensum, hodiè autem tardius benefi-  
cio Epactarum contingere, qui error ex pri-  
ori oritur, inde deprehenditur, quod pascha  
in quartam hebdomadam mensis lunaris, ra-  
rius tamen incidat, vel lunas nonnullas deci-  
mas quartas esse paschales, ex decreto Synodi  
Nicena, qua tamen reiiciuntur tanquam non  
paschales. Tertius error, vel obiectio, contra  
superius dicta hac est: Quando luna deci-  
ma quarta paschalis, diem vicesimum primum  
Martii antecedit, tunc pascha ex prima men-  
se in secundum, vel duodecimum transfertur,  
licet rarius. Si verò equinoctium verum,  
ante vicesimum primum diem Martii acci-  
dit, vel vicesimum primum diem Martii se-  
quitur, tunc luna decima quarta paschalis,  
O diem

II.

III.



diem illum sequitur, quo equinoctium acci-  
dit, vel etiam in eundem incidit. Si verò luna  
decima quarta paschalis, ante diem vicesimum  
primum Martii non reperitur, tunc luna deci-  
ma quarta paschalis, idem equinoctium ante-  
vertit. Ultimum, quo instant aliqui, contra  
superius dicta, de paschatis celebratione, ar-  
gumentum tale est: paschatis dies interdum  
in ipsa luna decima quarta, ante plenilunium,  
licet rarissime, sive etiam ante lunam deci-  
mam quintam celebratur. Ergo de hoc quoque  
nulla est certitudo. Sed facilis responsio, ad  
has quatuor obiectiones, vel ut aliqui, appella-  
re soliti sunt errores, in compositione novi Ca-  
lendarii commissos dari potest, si modò verè  
errores dici possent, praesertim cum de necessi-  
tate interdum, propter doctrinam Cyclorum,  
ut dictum est, illa evenire certum sit. Ac ad  
primum argumenti obiectionem, quod attinet,  
in anno civili vel etiam politico, termini pa-  
schales certi constituendi sunt, si equinoctium  
fixum

Solutio qua-  
tuor obiectionum de Ca-  
lendario no-  
vo Gregori-  
ano.

fixum manere deberet, sed quia equinoctii  
verni motus inaequalis & irregularis est, in-  
de sequitur, quod dies equinoctio praefixus,  
iam antecedit, iam verò equinoctium sequa-  
tur. Deinde, anni communes & bissextiles  
in causa sunt, quod error ille committitur, ut  
vocant, etiamsi motus equinoctii esset aequalis  
semper. Secundus error, vel potius obiectio  
ita defenditur, vel ad eum respondetur, &  
concedendum omninò est, in cuiuscumque Ca-  
lendarii compositione, etiamsi Cyclus lunaris  
rectè disponatur, tamen novilunia interdum  
Cycli, coniunctiones luminariù in caelo factas  
antecedere. Tertii erroris obiectio, & etiam  
solutio ex prima pendet, quapropter diu hic  
inhabere, non est opus. Quarta obiectio pau-  
cis satisfaciam, videlicet quod in hac Calen-  
darii Gregoriani nova compositione, pascha  
nostrum in lunam decimam quartam inci-  
dat, sed non tam saepe, sicut in priori, vel vete-  
ri illo Calendario, circa tempora Synodi Ni-

I.

II.

III.

IIII.



na conscripto accidisse legitur. Cumq; maio-  
res, & plures in veteri Calendario sint de-  
prehensi errores, quam hi, qui tamen penitus  
vitari, ex causis superius dictis non possunt, si  
modò ita dicendi sunt, certas tamen ob causas  
in ecclesia, per multa secula tolerati. Rem  
laude dignam magis facerent illi, si Calenda-  
rii novi compositionem defenderent, sicut  
Bartolemaus Scultetus Gorlicensis quoq; in  
quodam loco attestatur, quam si studio contem-  
dendi magis, quam veritatis inquirenda  
causa, Calendarii Gregoriani compositionem  
reprehendunt. Potiusq; suas operas ad labo-  
rem magis necessarium conferre deberent illi,  
in studio hoc astronomico, videlicet ad motu-  
um caelestium inquisitionem, & quemadmo-  
dum equinoctium ex observationibus caelesti-  
bus (sicut Ptolemei quoq; tempore, Alexan-  
dria factum esse legitur) cum tabulis Astro-  
nomicis conciliari possent, quo facto, obiecti-  
ones magis fundamentales, contra novi Ca-  
lendar

lendarii correctionem, in medium adferre  
possent, qua fieri aliàs nunquam poterunt, ni-  
si prius tabularum astronomicarum correctio  
solida, ex observationibus instituat. Atq;  
hactenus Magnifice D. Rector, Spectabilis  
D. Decane, reverendi, clarissimi, pietate,  
eruditione & virtute praestantes viri, adole-  
scentes studiosi, satis dilucidè me vobis hodiè  
explicuisse puto capita, in quibus correctio Ca-  
lendarii Gregoriani consistit, additis causis  
ex fontibus Astronomicis desumptis, propter  
quas corrigi Calendarium necessarium fuit,  
quas ut dixi, licet hactenus, nescio quibus ar-  
gutiis quidam oppugnare conati sunt, inter  
veros, medios & apparentes motus non di-  
stinguentes, cum ecclesia post habitis veris &  
apparentibus motibus, in quib. error facilior  
admitti potest, mediis motibus, qui aequales  
& uniformes sunt, ac certas ob causas adhi-  
biti, usa hic sit. Inde quoq; à quibusdam pro-  
pter motuum diversitatem, & tabulas diver-

Conclusio.



Propter tabularum diversitatem quod summam in motu solis & luna mansisse.

Tabula Ptolemaei quando composita.

Tabula Alphonsina quando composita.

*Sas, Alphonsinas videlicet, Prutenicas sive Copernianas, summa quoque diversitas in motibus solis & luna, huc usque mansit, quemadmodum nec hodie adhuc tabula ab Astronomis composita sunt, quarum beneficio, veri motus stellarum, ad omne tempus inquiri possunt sed singuli observationes sui temporis composuerunt, quae deinde longè à vero aberrasse, post aliquot annos deprehensa sunt, propterea quod nec unius motus caelestis periodus, hodiè perfectè cognita sit. Id quod ex tabulis Ptolemaei, ante annos mille quadringentos, & quinquaginta ab ipso compositos, qui diligentissimus astrorum indagator fuit, eorumque motus ex eis inquisivit, videre licet. Quibus postea Alphonsina successerunt, cum priorum usus accuratus, amplius esse non posset, in motuum observatione, ante annos trecentos, & quadraginta condita ab artificibus, per quas deinde, magis accuratè motus sunt investigati, quam per tabulas Ptolemaei, in quarum locum hodiè Prute-*

*Prutenica successerunt, hanc ob causam, quod communi astronomorum consensu, certius cum Phenomenis caelestibus convenire, quam Alphonsina deprehensa sunt. Atque ita post aliquot annos fortassis, alii alias motuum caelestium periodos observabunt, novasque hypotheses ponent, ex quibus postea tabula nova componetur: quemadmodum hodiè de Tycho Brahe mathematico excellenti, natione Dano scribitur, eum totis viribus in id intentum esse, ut motus astrorum exactissimè examinatos & observatos, nobis exhibeat, diversitate motuum ex Prutenicis, tum ex Alphonsinis, sive Copernianis tabulis observata. Exempla etià in quodam loco, de ingressu solis in Arietem, Aequinoctii verni tempore ponit, quem anno octuagesimo sexto proximè elapso, decimo Martii, hora nona, min. secundis post meridiem observasse se scribit. Secundum tabulas autem Alphonsinas, sex horis citius nobis exhibere, Prutenicas tredecim tardius, quod postea*

Tabula Prutenica in quarum locum hodiè successerint.



postea in Calendario novo, in vicesimum di-  
em Martii, horam nonam, min. secundum  
post meridiem, incidisse deprehensum est, ac  
vicesimo primo diei Martii rectè appositum.  
Inde postea proptertantam Astronomorum di-  
versitatem, ecclesiis ut dixi, mediis motibus,  
qui aequales & uniformes sunt, adhibuit, om-  
missis veris. Et quamvis nec illi ita præcisè,  
ut in obiectionibus superius adductis videre  
licet, propter magnam à nobis distantiam,  
sunt inquisiti, mirum tamen hoc videri nemi-  
ni debet, cum in hac inferiori & elementari  
natura multa adhuc sint, quorum cognitionè  
perfectam, Philosophi hæcenus assequi non  
dum potuerunt. Inde cum certò nunc constet,  
unde discrepantia illa & contradictio, in hac  
Calendarii Gregoriani compositione consi-  
stat, videlicet in motuum observatione &  
cõciliatione, etiamsi præcisè, nec adhuc omnia  
hic exactè sunt inquisita. Gratiarum igitur ha-  
beamus summis illis Astronomiæ artificibus,  
in ope

in opere hoc Grigorianò promovendo, quod  
tandem opera eorum & diligentia, eò res est  
deducta, ut labor hic maximus, in correcti-  
one Calendarii susceptus in lucem prodiret, de  
quo ante multos annos non solum in Latera-  
nensi concilio, sub Paulo & Leone Decimo  
Pontificibus, sed etiam in aliis publicis, &  
privatis Astronomorum conventibus, diu  
querela maxima fuerunt. Ac si, ut dixi, non  
omnia adhuc hodiè in doctrina motuum, ad  
hanc Calendarii Gregoriani correctionè per-  
tinentia, exactè sunt inquisita & pervestiga-  
ta (sicut aliàs plura, in Astronomico studio in  
motu Martis, Mercurii Planetae versatilis,  
octavae sphaera in longitudinem & latitudinè  
girationibus, adhuc desunt) non tamen pro-  
pterea, totum opus est reiiciendum aut explo-  
dendum, sed potius nostris laboribus & stu-  
dio complendum, propter summam difficulta-  
tem motuum & diversitatem, amicè corri-  
gendum. Quam doctrinam motuum, sine ul-  
P la dis.



ta dubitatione, ideo Deum optimum Maxi-  
mum, tantis difficultatibus involuere voluif-  
se, in prima creatione firmiter mihi persua-  
sum habeo, quò semper aliquid operis resta-  
ret, & homines etiam in tanta nobilissimorum  
corporum harmonia, & motu haberent, quod  
admirarentur. Id quod Ecclesiastes quoq; cap.  
3. exprimere voluisse videtur, dum dicit:  
Deum mundum disputationi hominum tra-  
tradidisse, id est inquisitioni humane sagaci-  
tatis, aliquid quasi absconditum, & non tam  
perfectè inquisitum, relinquere quotidie vo-  
luisse, ne quando si cælorum motus perfectè in-  
vestigassent, ingenia hominum in posterum  
torperent, & non amplius haberent, in quo in  
tam nobilissimo mundi theatro, & à nobis  
procul sito, speculando & investigando ad-  
mirarentur, opificem eorum, (homine exce-  
pto) laudibus extollerent, de quibus in Psal-  
mo dicitur: Cæli enarrant gloriam Dei, &  
opera manuum eius firmamentum. Cumq; ta-  
lia

lia ingenia pauca extare hodiè, experientia  
quotidiana doceat, quidam etiam, licet libens-  
ter hisce studiis invigilarent, paupertate ta-  
men deterriti, & quia patronos studiorum  
nullos habent, deserere ea coguntur, aut præ-  
mis saltem labris degustare. Deum itaq; fon-  
tem, & creatorem astrorum, ardentibus vo-  
tis precemur, ut plures tam in ecclesiastico,  
quàm politico statu tales Gregorio tertio simi-  
les, excitare velit, qui non tantum hoc opus, à  
Gregorio tertio Pontifice maximo susceptum  
(de quo Bartolemaus Scultetus insignis ma-  
thematicus scribit, tale, aut simile quiddam  
à quoquam, nunquam fuisse editum,) promo-  
veant, sed etiam talia ingenia, ut Julius Ca-  
sar, suis sumptibus foveant, quo aliquando  
motus astrorum certius inquiri, & si quid  
adhuc deest, per idoneos artifices, sumptibus  
procerum imperii Romani sustentatos, addi  
possit, præsertim cum expressis verbis studii  
astrorum, in prima mundi creatione no-



bis demandatum sit hisce verbis: Erunt vo-  
bis intempora, dies & annos. Ad quorum  
studium halcionia cum necessaria sint, quo o-  
pera eorum ab insensu milite redimatur, in  
tantis bellorum tumultibus, & generis hu-  
mani confusionibus, **DEVM** toto pe-  
ctore precor & invoco,  
**Dixi.**

**FINIS.**



50. 2.

**TRACTATUS**  
**NOVVS ET UTILIS, DE**  
**SOLE, EIVSQUE INCOMIO, IN**  
quo non tantum de corpore, magnitudine,  
distantia à Terra, motu, obliquitate, loco seu  
Arce Solis, sed etiam radiorum differentia,  
lucis & caloris natura, & effectibus, itemq;  
figura radiorum multiplici & perens  
nitate, vtilitatibusq; umbrarum  
varijs dicitur:

*Conscripsum opera & Studio*

**ABRAHAMI ROCKENBACH,**  
Zeapolitani, i. v. Doctoris, Græcæ linguæ &  
Mathematicum ante paucos annos, nunc vero Extra-  
ordinarij Professoris Juris, in Academia  
Francofordiana cis Viadrum:

*Ac publicè expositus in Collegio Philo'sophorum,*  
*pridie Calend. Martij, Anno*  
*Christi 1598.*

**ANNO 1601.**

394327